# R. P. F.
# PETRI AVRATI
## S. THEOLOGIAE DOCTORIS, ORDINIS F. Prædicatorum,

## COLLEGIVM SAPIENTIAE, *fundatum in Vniuersitate virtutis:*

IN QVO MODI PRAESCRIbuntur, quibus ad exemplum B. Mariæ Magdalenæ, vitam nostram mundanam in spiritualem commutare debeamus.

*NVNC RECENS E GALLICO IN latinum conuersum.*




COLONIAE,
Sumptibus Burchardi Kuickij.
ANNO MDC X.

# PRAEFATIO AD LECTOREM.

AD felicitatem cõtendis veram, Beneuole Lector, illã vt consequaris, hoc te Collegium instituit. Quid ita? sapientiam illud te docet, non inanem, non falsam, non mundanam: at verã & in virtute fundatam. Hãc qui habet, vel Hermi, Pactoliq; diuitias superabit. Quis credet? inquis. Atq; ego vix crediderim, ni sapiẽtes assererent, ratio approbaret; Hæc quidẽ expresse admonet, quod eà fructus internæ delectationis acquiratur; quod nobilis conscĩetiæ thesaurus secretis mentis penetralibus innascatur, quod sparsa colligatur, erogata reuertatur, publicata suscipiat incrementum. Isti vno ac pleno ore, felicitatis humanæ principiũ & authtricem prædicant Docet virgilius his verbis:

*Fœlix qui potuit rerum cognoſcere cauſas,*
(Diuinarum.)
*Atq; metus omnes & inexorabile fatum*
*Subiecit pedibus ſtrepitūq; Acherontis auari.*

*Docet Socrates iſtis. Solius ſapientiæ poſſeſsio immortalis. Sed nec hos tanti facerem, niſi ſanctorum adſtipularetur authoritas. Vn⁹ ille Hipponēſium Antiſtes Auguſtinus erit omnium inſtar: Sapienti, inquit, nihil alienum niſi quod virtuti incongruum: quocunque acceſſerit, ſua omnia, totus ei mūdus poſseſsio eſt. Id adeò ſancta intellexit Magdalena, vt nec minis, nec terroribus, nec vanis voluptatum illecebris, nec ſæuo Dæmonis impulſu ab huius Collegij frequētatione deterreri potuerit. Cuius quia tu veſtigijs inſiſtere, virtutem imitari, ſcopum amplecti, felicitate perfrui ardēter optas, id vnicè abs te flagito, ne hoc verè ſapientum Collegium inueſtigare deſinas, frequentare negligas, colere contemnas. Ita nō modo virtutis pulcherrimum apicem continges, ſed cum B. Maria Magdalena, crede mihi, etiam aſtris dominaberis. Vale*

INDEX

# INDEX CAPITVM PRIMAE PARTIS HVIVS Collegij Sapientiæ:

## INDEX CAPITVM SECVNDAE partis Collegij sapientiæ.



De

## APPROBATIO.

EGo Fr. Gisbertus Spechtius SS. Theologiæ professor, hæreticæ prauitatis Apostolic. inquisitor, hunc libellũ qui Collegiũ sapiẽtiæ intitulatur, conscriptũ gallico idiomate, à R. P. F. Petro Aurato SS. Theologiæ Doctore, Ordinis fratrum Prædicatorum nunc in Latinum cõuersum, legendũ tradidi cuidam docto Patri Theologo, in quo nihil reperitur quod Catholicæ religioni, bonisque moribus aduersatur. Dignum itaq; cẽseo vt in lucem edatur.

*Fr. Gisb. Spechtius*

*Apostolicus Inquisitor*

*& Prior.*

COLLE-

# COLLEGIVM SAPIENTIAE FVNDATVM IN VNIVERSITATE VIRTVTIS.

## PRIMA PARS.

## *DE PRIMA FVNDATIONE Collegij Sapientiæ.*

### CAPVT PRIMVM.

CAELESTI plane dispositione consilioq; factum est, vt homo rationalis, eruditionis & doctrinæ capax produceretur, quò videlicet supremum suum bonum (quod Deus Pater noster est) cognosceret, cognoscendo amaret, amando possideret, possidendo cum omnibus voluptatibus illo perfrueretur, qui omnium deliciarũ & gaudiorum perfectum quoddam Zeugma est & complementum. Ob hanc deinde causam, quemadmodum Regis filium decebat, cum in pulcherrimum Sapientiæ Collegium ablegauit, quod in loco

 scre-

ſereno, amæno, & viridanti exædificatũ, commodum planè ac oportunum erat, vt in eo philoſopharetur, & omnium ſcientiarum cognitionem conſequeretur, nihil vt neceſſe foret ſeruilibus & mechanicis artibus ingenium ſuum inquinare, cõſtituto iã videlicet illo in Vniuerſitate virtutis, ad quam Deus in ipſius creatione, illũ prædeſtinarat. Situs porro huius Collegij non obſcurus aut vmbroſus erat, quemadmodũ Academia Platonis, qui in ſiluis & nemoribus diſcipulos ſuos erudiebat, ſed in loco claro & lucido adeoq; pulcro & amæno, vt Paradiſus terreſtris appellaretur; propter inſignia bona & cõmoditates, quib⁹ huius disciplinę ſtudioſi ſapientiam cum Virtute copulãtes, ſe recreare & oblectare poſſent: audientes albeſcente iam cælo iucundos auiũ cantus, fritillationes, & tritillationes: videntes ſturnos, Merulas, Philomelas, Alaudas, & innumerabiles alias auiũ ſpecies, colorũ diuerſitate diſtinctas, iucundiſſimè inter ſe luſitantes, oberrantes, cãtillantes, & ſub procerarũ arborũ ramis, quę ad marginẽ pulcherrimi fontis plantatæ erant, qui dictum locum in quatuor admodum partibus irrigabat, ingenioſiſſimæ nidulos ſuos & larem exrruentes,
Vidiſſes

Vidiſſes illic viridantia dumeta, odorifera Roſaria, florentes Rubos, arbuſculas ameno & iucũdo foliorum cinctu obumbratas, frutices diuerſi generis, & quidquid denique excogitare poſſes aut animo tibi imaginari: Deus namque illũ extruxerat, quemadmodũ ſcriptura ſacra atteſtatur. Deus hortulanus, Deus cõditor erat huius auguſtiſſimi viridarij, quò videlicet per id Collegium ſuũ, in quod filium ſuum amandarat, pulcherrimè exornaret & condecoraret. Iam meo etiam iudicio propter longè excellentiorem ac plauſibiliorem rationem, locus ille Paradiſus terreſtris appellari mihi debuiſſe videtur, quia videlicet affinitatẽ quampiam ac ſimilitudinem cum cæleſti illo Paradiſo habebat, cuius tota felicitas in Dei viſione, cognitione amoreque conſiſtit: & quia homo eum in locũ ablegatus erat non ob aliã reuera cauſam, quã vt illic in cognitione Dei à quo originem ſuam ducebat, feliciſſimè proficeret, & occuparetur; iſtiuſmodi namque planè vitam hominem in terris exigere oportebat, qualẽ in cœlo cõſtitutus perfectiſſimè ſuauiſſimeq; traduxiſſet. Cęterũ Collegio huic nobiliſſimę quęq; virtutes præerãt, quę in homine domicilũ ſuũ

extruentes ad honestatem & optimos ac incorruptos mores eum informabant: Veritas eum loqui, Iustitia rectà incedere docebat; Pax placidè & tranquille eum instituebat & educabat, Fides & Prudentia principem in scholasticis Regulis locum obtinebant, ingeniumq; dexterrimè erudiebant: Charitas & Spes ceu secundam regulam sortitæ, Voluntatem imbuebãt: Fortitudo partem inferiorem, quæ Irascibilis vulgò audit, moderabatur: Temperãtia in postrema regula partem concupiscibilem gubernabat; adeo vt beneficio huius virtutum Vniuersitatis longè doctior sapientiorque Salomone ipso euasisset; siquidem omnium earũ rerum naturalium & diuinarum cognitionem habebat, quæ quidem ab homine sciri oportebat, & iustitiæ originalis ac innocentiæ primogeniæ status exigebat. Iam & liberi quos eo in loco procreaturus erat, (etsi nequaquam in Scientiarum perfectione nascerentur) tamen absque vlla difficultate, virtutis ductu atque auspicijs, ad absolutam rerum scientiam & cognitionem peruenissent. At, proh dolor! inimicus naturæ hunc felicẽ homini progressum & hæc incrementa inuidens, ac ne non parum se sapientior eua-

euaderet pertimescens, æstro inuidiæ excitatus, instar versipellis serpentis, plenus malitiæ veneno, Adam & Euam adoritur; & subdola verborum illecebra ijs ostendens, non dimidiam adhuc sapientiæ partem ipsos hausisse, simulque appromittens se confestim id acturum, vt Deo pares esse viderentur, ait, quemadmodum Gen. 3. cap. legimus. *In quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij scientes bonum & malum.* O maledictum præceptorem, quam tu homini vt doctrinam consequatur, lectionem præscribis? an ergo tu bibendo & comedendo ad rerum cognitionem perueniri existimas? an non hæc impedimenta potius sunt, quam promotiones studiorum? Nunquid Daniel ieiunans excellentiores reuelationes habuit, quã ij qui delicatis Regis Babyloniorum ferculis pascebantur? an non sapiens contestatur, se abstinentiam elegisse vt Sapiẽtiam indipisceretur? Verum o mendax, imò pater & architecte mendaciorum, quomodo tu homini dignitatem appromittere istam potes, cum filius Dei clauẽ scientiarum acceperit? Est ille reuera clauis Dauid quæ claudit, & nemo aperit, & in illo omnes thesauri sapientiæ &

ſcientiarum occultati ſunt. Hos tu ergo clanculum & ſecreto furaturus es, vt homini impertias & elargiaris? O te egregiè callidum & ſuperſtitioſum, qui herbarum aut fructuum ſubſidio, ſapiẽtiam per oris portã in hominẽ te intromiſſurũ mentiris? Non conueniebat ergo hominem Pſeudo huic Prophetæ aures præbere & patefacere, ſed ordinarijs ſuis medijs acquieſcere: vnde conſecutum eſt, potius vt in ſchola Diaboli mendacia, ſuperbiã, inobedientiam, luxuriam, vitium, peccatum, & nullam nõ peruerſitatẽ addidicerit, & ex ſapienti rudis effectus, beſtiæ ſecundum ſcripturam fuerit æquiparatus: *Homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Factus eſt inquam effrenis, diſſolutus, & indomitus: piger vt Aſinus, crudelis vt Leo, vorax vt Vrſus, auarus vt Tygris, luxurioſus & immundus vt Porcus. O ſtatum miſerabilem! ô mutationem reuera admirabilem, videre hominẽ ſenſibus deprauatum, ingenio corruptũ, & beſtijs aſſimilatum! O metamorphoſin obſtupeſcẽdam, ex ſapiente ſtultum, ex homine pecudem fieri! Demonſtrauit hanc experientia in Nabuchodonoſor qui è conuerſatione hominum & ſocietate

tate eiectus, inter animalia insensata vixit, & similem planè cum ijs æqualemque vitam traduxit. Verum quorsum abeo? & cur tam longè? quasi id non satis in Protoplasto appareat, qui è Collegio suo expulsus, & bestiarum pellibus, ad quarum similitudinem accesserat, fuit indutus? & vt breue faciam, ex Vniuersitate Virtutis ac Dei, qui primus illam fundauerat, turpissimè transfugiens, nouos Magistros Diabolum, Mundum, ac Carnem accepit, quorum opera id cõsecutus fuit, vt malitia & impietate plenus minus etiam bestijs se scire intelligereque demonstrarit, quarum postea exemplo & magisterio vsus fuit. O nouum & admirandum! videre bestias hominem docentes & erudientes! Et tamen id in veritate factum est, quemadmodum Iob vndecimo legitur: *Interroga iumenta & docebunt te, & volatilia cæli & indicabunt tibi*: sequuntur namque illę naturalem suum ductum, & euidenter ostendunt, sagacitate se aliqua & industria à Deo præditas esse, qua vtantur & sua omnia moderentur, sicut Prouerbiorum sexto, pigri ad Formicas ablegati demonstrant: *Vade ad formicam o piger, & considera vias eius, & dis-*

*& disce sapientiam, quæ cum non habeat ducem nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe quid comedat.* Quid amabo festiuius, quid lepidius cōspexisti, quam Formicā in schola suggestum cōscendere, ex eo docere, Hominem autem auditorem discere & auscultare? Videtur hoc quidem contra rerum communem ordinem accidisse, verum nihilominus certum & indubitatū est, hominem in suo genere minus sciētiæ à Deo acceptæ retinuisse, quam reliqua animalia, quæ istiusmodi inclinationes & operationes habent, quæ naturæ sagacitati respondere videantur. Videns proinde isthæc clementissimus Pater noster & Deus, simulque hominis misertus, pædagogum illi destinauit, Moysen videlicet, omni Aegyptiorum sapientia insigniter & vndequaq; plenum, quemadmodum septimo in Actis apparet. Porro pædagogus iste Moyses continuo virgā manibus circumferebat, vt desides & ignauos, quiq; minus promptè lectionem suam, id est Legem à se datū, didicissent, acerrime ea cæderet & castigaret. Verū pædagogus iste Vniuersalis non erat, sed vnicum tantum populum Iudaicum videlicet erudiendum imbuendumque su sce-

ſuſceperat, cui frequentibus lectionibus voluntatem Dei exponebat, & præcepta in monte Sinai accepta ſtudioſiſſimè explicabat. Et ne fortaſſis obliuioni illa traderentur, ita eos affatus fuit, quemadmodum cap. 6. Deut. reperitur. *Erunt verba mea hæc, quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo, & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque conſurgens, & ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, eruntque & mouebuntur ante oculos tuos, ſcribeſque ea in limine & oſtijs domus tuæ.* Ita videlicet Moyſes iſte ipſos quadraginta annos in loco deſerto & ſolitario populum ſuum erudiebat; ne videlicet ſtrepitu ac tumultu alterius gētis in lectione ſua impediretur, & optatū fructum profectumque non conſequeretur. Ita ipſe cap. 6. Deut. ait: *En quadrageſimus annus eſt, vt recogites in corde tuo: quia ſicut erudit filium ſuum homo ſic Dominus Deus tuus erudiuit te, vt cuſtodias mandata Domini Dei tui, & ambules in vijs eius & timeas eum* Et rurſus cap. 4. libri citati: *Scitis quod docuerim vos præcepta atque inſtituta, ſicut mandauit mihi Dominus Deus meus, ſic facietis ea in terra quam poßeſſuri eſtis, & obſeruabitis & implebitis opere: Hæc eſt enim veſtra ſapientia, & intellectus coram populis*

 vt an-

*vt audientes vniuersi præcepta hæc, dicant, En populus sapiens & intelligens, gens magna.* Viuente proinde Doctore & Magistro isto Iudæorum Moyse, scholæ Sapientiæ in natione Iudaica erectæ, & excellentes plane lectiones habitæ fuerunt, quibus filius iste Dei excoleretur, & bonis moribus imbueretur: verum mortuo rursus isthoc præceptore, Discipuli nihil sibi antiquius habuerunt, quam voluptates suas persequi, pessum ire, & furere, sicut Psalmista ait: *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum.* Omnes, inquam, ex Vniuersitate virtutis profugerunt, & se ad scholam vitiorum contulerunt, nihili facti, discipuli aliquando, quemadmodum bene & sapienter Magister illorum ipsis prædixerat, antequam moreretur Deut. 31. cap. *Tollite librum istum & ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri, vt sit tibi contra te in testimonium. Ego enim scio contentionem tuam, & ceruicem durissimam. Adhuc viuente me & ingrediente vobiscum semper contentiose egistis contra Dominum, quanto magis cum mortuus fuero? Noui quod post mortem meam iniquè agetis & declinabitis cito de via quam præcepi vobis.* Nec aliter reuera factum fuit; dereliquerunt viã

Virtu-

Virtutis, profugerunt ex collegio Sapientiæ, & Idololatriæ scholas ædificauerunt. O generatio mala & peruersa! Istud est gloriam Deo debitā impendere, istud honorem adhibere, popule stulte & insipiens, fili nimis saginate, & bonos dies habens? Recalcitrauisti patri tuo oblitus, es illius qui te fecerat. O popule absq; cōsilio & prudentia! Vtinam, dicebat Moyses, bonum intelligerent, & quod bonum est degustarent, & in prudētia omniū finē prouiderent. Quod si quæratur vnde ista ruina & populi defectio profluxerit, qui adeò bene instructus adeò nequiter se tractauit, alia planè caussa assignari nulla potest, quā hostis humani generis, qui omnia illi Sapientiæ Collegia, tam ea quæ in Paradiso habuit, quam ea quæ in deserto extruxit, in quibus filij Israel studebant, demolitus fuit ac deuastauit: & quod plus est, libros incendio absumpsit, quemadmodum lib. 1 primo cap. Machabeor. legimus: *Legis Dei libros combusserunt igni scindentes eos, & apud quemcunque inueniebantur libri Testamenti Domini, secundum edictum Regis trucidabant eum.* Atque vt nihil ad hanc immanitatem deesset, seruum suum Antiochum excitauit, qui in ipsa ciuitate Ierusalem

Collegium malitiæ condidit, vt in eo leges iniquas doceret, prout li. 2. Machab. cap. 4. scriptum est: *Ausus est sub ipsa arce gymnasium constituere, & optimos quosque ephœborum in lupanaribus ponere.* Ita videlicet Sapientiæ Virtutisque Collegia euersa fuerunt, erecta contra malitiæ & peruersitatis. Cui malo Deus medicinam adhibere volens, Filium suum ablegauit, vt Collegium suum repararet & reædificaret, omniaque exercitia & studia peruersitatis aboleret, sicut sequenti capite ostendetur.

## *DE REGENTE ET MODERAtore Collegij, deq; eius hypodidascalis & Collegis.*

### CAPVT II.

QVò ergò Virtutis illa Vniuersitas, & magnificum Sapientiæ Collegium restauraretur, & pristino suo vigori restitueretur, descendit cælitus ipsa infinita & diuina sapientia, id est, secunda in Trinitate persona Iesus Seruator noster vnicus filius Dei Patris: neque enim alius melius aut decentius hanc prouinciam administrare posse videbatur, præterquam

terquam quod à præcipuis totius orbis studiosis, eã ad rem continuo postulatus fuerat, qui quemadmodum Ecclesia in Aduentus quapiam Antiphona canit, indesinenter vociferabantur: *O Sapientia, quæ ex ore altißimi prodijsti, attingens à fine vsque ad finem fortiter, suauiterq; disponens omnia, veni ad docendum nos viam prudentiæ.* Istiusmodi ferè verbis longo temporis interuallo natura humana desideriũ suum patefaciebat, cui secundum Zachariæ Prophetæ dictum libro Regum cap. quinto decimo accidit. In Israel verus Deus adoratus non fuit, multique dies effluxerunt, in quibus, nec sacerdos, nec Clerus, nec Doctor, nec lex, nec Propheta reperiebatur: post reditum enim ex captiuitate Babylonica, vsque ad Messiæ aduentum Prophetæ planè nulli extiterunt, sicque studiosi absque regula viuebant & præceptore: quilibet enim pro suo libitu omnia agebat, adeo vt nec libros ipsos diuinæ legis retinuissent, nisi Esdras magnus ille Rabbi legem postliminio reuocasset, earumque copias quæ per Nabuzardan Capitaneum & Satrapam Nabuchodonosoris inimici Dei igne fuerant concrematæ rescripsisset: quæ charta scripta manu supradicti Es-

dræ ad hodiernum vſq; diem Bononiæ, Deo laus, apud Fratres prædicatores aſſeruatur, ſicut Armacanus in quæſtionibus Armeniorum atteſtatur. Denique Deus Pater qui veteres per Prophetas erudierat, in filio ſuo nos affatus fuit, quēadmodum Diuus Paulus capite primo ad Hebræos adſtipulatur. Venit ergo magnus ille Magiſter, & hanc ſibi operam ſumſit vt nos regeret & lectionem noſtram nobis demonſtraret: atque quò id commodius faceret, in Hieruſalē deſcendit, ciuitatem planè populoſam & in omni memoria celebrem, ciuitatem dico vbi ſcientiæ Dei & lex illius docebatur: ad quam non aliter quam Athenas aliquas vndequaque Iudæi confluebant, pagani cōcurrebant, & gentiles legis diuinæ ac ſanctarum ſcripturarū curioſi & ſtudioſi ſe conferebāt. In hac ergo Saluator Ieſus ſcholas publicas primū aperuit, quemlibet gratis erudiens in loco cómmuni, & omnibus patente, quò doctrinam ſuam veridicam & non ſuſpectam demonſtraret, quæ aliud non quærebat, quam diem, aliud non deſiderabat quam conſpici, quam audiri: atque hinc non conuenticula, non clandeſtinos circulos, non loca ſecreta ad concionandum dele-

delegit, quemadmodũ Annæ de doctrina sua interroganti respondit: *Ego semper docui in Synagoga, & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil.* Porro quemadmodũ celebriores Chirurgi, Medici, ac Ophtalmistæ facere solent, vt mãdata, vt schedas, vt tabellas, in portis, cõpitis, & locis publicis ciuitatũ quò aduentum suũ palã faciant, affigant atq; appẽdant, ita nunquã satis laudatus ille Regens & Doctor Iesus Christus faciebat, quemadmodũ Prou. cap. 1. legitur: *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocẽ suam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba sua dicens, vsquequo paruuli diligitis infantiam, & stulti quæ sibi sunt noxia cupiẽt, & imprudentes odibunt sapientiã: conuertimini ad correctionẽ meam en proferã vobis spiritũ meũ, & ostendam vobis verba mea.* Ecce tibi hoc loco publicationẽ aduentus Iesus præceptoris nostri, ecce sonũ tubæ & clamoris publici per cõpita & vniuersas mũdi plateas effusi: omnes. n. vocati sunt tã parui quã magni, viri & fæminæ, Domini & cliẽtes, Magistri & serui, Herę & ancillæ, diuites & pauperas, ad studendũ in scholis Sapientiæ fũdatis in Vniuersitate virtutis: de cuius fundatione & erectione facta per Dominum seruatorẽ nostrũ, scriptũ est Prou. cap. 9.

*Sapientia ædificauit sibi domũ, excidit columnas septem, misit ancillas suas, vt vocaret ad arcem & ad mœnia ciuitatis si quis est paruulus veniat ad me, & insipientibus locuta est relinquite infantiam, & viuite & venite & ambulate per vias prudentiæ.* Domus hæc Schola Sapientiæ est fundata super septem columnas septem virtutum: quarum tres sunt Theologicæ, idest, Fides, Spes, Charitas: & reliquæ quatuor Cardinales nominantur, Prudentia, Iustitia, Fortitudo, Temperantia, in quibus septẽ tota Vniuersitas aliarum virtutum comprehensa est, quæ ad has velut radicem suam reuocantur; quas qui consectantur, ij vero facilè ad sciẽtiarum culmen euadunt, & non aliter. O illustres scholas! ô inclitum & splendidum Collegium, fundatum non super fulcra & ligna putrida, sed super columnas saxeas, firmas, atque immobiles: ne videlicet destrui amplius possit, & solo denuo adæquari! Huic ergo Sapientia præsidet, ceu Dea & Regina omnium scientiarum, quæ cognitio dicitur rerum sublimium ac diuinarum, aliasque Theologia fuit nuncupata: quæ seruas & ancillas suas, id est, omnes reliquas scientias particulares & liberales ad seruitia præstanda paratas præsentesque

habet,

habet,& verò etiam vt earum opera vndequaque Discipuli contrahantur, & ad Heram suam ceu Deam Sapientiæ reuerendum,& illam addiscendum,in Collegium istud colligantur. In hac schola alium Regentem & Magistrum principalē imaginari sibi non oportet, quam Iesum Christum Redemptorem nostrū, veram Patris Sapientiam, Doctorē Veritatis appellatam, quia videlicet ille ipse ipsa est Veritas. E contra autem falsus ille Doctor,huius aduersarius,fallacijs mēdacijsque apprimè instructus, male protoplastos nostros Adamum & Euam totamque illius prosapiam docuit: Domino namque nostro idem plane inimici eius dicebāt: *Magister scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces*, Matth. cap. 10. quin & in Euangelio nobis præcipit & ait, *Nolite autem vos appellare rabbi aut magistros: nec enim alium quam vnum Magistrum, Iesum Christū habetis*: vbi nequaquam cauet,ne doctores simus,aut docti Magistri appellemur, sed ambitionem nominis culpat atque accusat, Conuenit autem soli illi pręcipuè titulus ac nomen Magistri,quia videlicet Magister & Præceptor est, quod nulli alteri competere conuenireque potest. Hoc documentum Dis-

cipuli sui & Apostoli sequentes, alio cũ nomine nõ appellabãt, quam Magister, Domine, aut Præceptor, quemadmodũ Euangelistæ sæpenumero meminerunt: vnde etiam ipsis super cęna sancta ait: *Vos vocatis me Magister & Domine & bene dicitis, sum etenim: exemplum enim dedi vobis:* ita Diuus Lucas in Actis Apostolorum capite primo ait: *Cœpit IESVS facere & docere.* O nouum doctorem, qui ante id facit, quod dicit ac præcipit! Hæc diuisio illa est quã ego ab eo hausi omnibus peccatoribus multò quam accommodatissimam, Id est *scire facere & docere*. De hoc Doctore Proph. Ioel ca. 2. aiebat dicens: *Filiæ Sion exultate, & lætamini in Domino Deo nostro, quia dedit vobis Doctorem Iustitiæ*. Item Proph. Esaias ca. 2. *Populus Sion habitabit in Ierusalem. Plorans nequaquam plorabis, non faciet Dominus auolare à te vltra Doctorem tuum, & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum post tergum monentis. Hæc est via ambulate in ea & non declinetis, neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Factum hoc autem completumque fuit in natiuitate & aduentu Domini nostri, qui primam suam cathedram nos erudi-

tu-

turus, in præsepi erexit, inter duas bestias, in stabulo, & tempore grandinoso, quò aditus ab omnibus omnino partibus patebat, ad audiendum sapientiam, quæ necdum loquens mundum nihilominus iam tum diuitias contemnere, ac mundi vanitates spernere commonefaciebat: Hinc confestim pastores & opiliones ad proficiendum illuc confluxerunt, videntes diuinum hoc verbum, postquam videlicet ab Angelis natum illud audiuerant & intellexerant. Post hoc alij studiosi atque Discipuli ex remotioribus longe partibus consecuti sunt, tres Magi videlicet, Reges Orientales, qui proprias sedes & imperia deserentes, puerum recenter natum visuri aduentauerunt, eique munifice lectionem suam remunerauerunt. Huius viles & abiectæ fasciæ Paupertatem docent, situs inter Bestias Humilitatem, ac præsepe in quo cubuit & pannis inuolutus iacuit; Charitatem autem & Obedientiam, antequam sciret loqui puer, clamauit & commendauit: Plane itaque admirationem non habet, quod ad talem Magistrum, thesaurum sapientiæ cōtuendum, ex peregrinis rationibus, ad-

aduentarunt, si ad audiendum videndūq; Regem Salomonem, Regina Saba vsque Hierosolymas profecta fuisse perhibetur: hic enim plus quam Salomon est, quemadmodum in Euangelio ait; *Ecce plusquam Salomon hic.* Ferunt idem planè Ethnico Tito Liuio eloquentiæ fluuio olim accidisse, dum videlicet complures illustres ac nobiles Galli & Hispani ad eū audiendum confluxerunt; sicque quos superba Romanorum palatia, quos sumptuosa ædificia, quos ingens & immanis pompa attrahere non poterat, hos vnius hominis quaquauersum diffusa laus & facundia accersiuit, & ad improbum hoc & laboriosum iter deuorandū emetiendumque incitauit: cum tamen ille ne riuulus quidem esse posset, respectu totius sapientiæ fontis ac scaturiginis, quæ est Iesus Magister optimus & præceptor eloquētissimus. Quanto nos proinde amore ferri ac rapi par est, ad hanc scholam frequentandam, & sanctam illius doctrinam excipiendam? An vero tu, ô deuota anima & discipula Iesu Christi, ea in hoc stabulo de quo loquimur, non reperiri posse arbitraris, quæ ad istiusmodi Magistrum requirūtur? ecce tibi crucem in qua, ex qua, & super qua vltimam

mam lectionem habuit, portans in capite suo coronam spineam, pro rotundo pileo, quem illi Cancellarius Academicus Pilatus imposuit, vt Doctorale signũ is esset: promotio verò facta tunc fuit quando à Iudęis illusus, & à ministris Pilati poplites flectentibus, illique dicentibus, *Aue Rex Iudæorum*, vexatus fuit ac derisus: & quemadmodũ in promotione Doctoris alicuius, insignes illius tituli honorificè percensentur & enumerãtur, ita doctissimi huius altissimiq; Doctoris regalia nomina & insignia alto loco affixa fuerunt, & publice ab omnibus legi cognosciq; potuerunt, quemadmodum S. Ioan. ca. 19. ait: *Scripsit autem & titulum Pilatus, & posuit super Crucem, erat autem scriptum* IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM. O titulum inclitum, ô nomina excellentia, ô honores illustres! Doctor noster Iesus est, id est, Saluator Nazarenus, hic enim est flos Iesse continuo germinans, & in virtute ac innocentia efflorescens. Ecce quam illustris & generosus est, dum Imperium habere dicitur in ipsos suos hostes ac inimicos. O quam inuidi & arrogantes illi erant, qui pulcherrimos istos Doctoris nostri titulos aspicientes, vim illis inferre, eos frangere

gere deijcereque voluerunt, quemadmodum D. Ioan. scribit: *Dicebant Pilato Pontifices Iudæorum, noli scribere Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit Rex sum Iudæorum. respondit Pilatus: Quod scripsi scripsi.* Verum frustra fuerunt, & nequidquā id susceperunt: quod enim scriptum & erectū erat pro titulo triumphali, scriptum mansit, & aboleri delerique non potuit. Ecce tibi ergo iam nunc verum Doctorē Iesum, Instauratorem vel potius Cōstructorem Collegij Sapientiæ, & illius Primarium. Iam illius hypodidascali & Collegæ minores, ab ipso confirmati instituti que fuerunt, sancti ipsius Discipuli atq; Apostoli, deputati ab illo vt regerent, & scholas per vniuersum terrarum orbem gubernarent: qui postea ab illo emeriti iudicati exauthoratique fuerunt, postquam studiorum suorum in hac Schola cursum absoluissent, & bacca laureati veniam omnibus gentibus concionandi accepissent, quando eis dictum fuit: *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Hos ergo Spiritus sanctus in festo Pentecostes Doctores, Magistros, & Regentes creauit, omnem eos veritatem docens, quemadmodum promissionem à Magistro suo acceperunt:

perunt: *Cum venerit Spiritus Sanctus, ille voc docebit omnia, & suggeret vobis omnia.* O columina & illustres Doctores Ecclesiæ ante piscatores, exiguæ literaturæ, vti S. Petrus, Doctor Circumsionis, & S. Paulus Doctor Gentilium! & attestatur hoc ipse D. Paulus ad Discipulum suum Timotheum scribens: *Positus sum ego prædicator, & Apoctolus, & Magister gentium.* Post supradictos istos Regentes & moderatores sequuntur illi, qui Ecclesiam hactenus rexerunt, aut regendam vnquam, quoad stabit, suscipient, Doctores videlicet Fidei, qui gladio verborum Dei illam defendunt & defensuri sunt, instar magnanimorum & fortium Regis Regum athletarum. Alludit huc Sanctus Paulus epistola prima ad Corinth. cap. duodecimo scribens: *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primo Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores.* Hi ergo nunc sunt exercitati illi bellatores, qui lectulum Regis Salomonis coronant ac ambiunt, eumque à timoribus nocturnis præseruant, qui Hæreses sunt, quas illi magna vi & contentione abijciunt, & veluti lolium adulterumque semen extirpant: tum sicubi fortassis libros pernitiosos, scādalosos, hęreticos,

aut

aut alias impios offendunt, hos illi confestim ceu piacula igni cremant, ne videlicet eorum lectione simpliciores corrũpantur & inficiantur: quemadmodum in similibus negotijs tempore Apostolorũ factum fuisse constat, sicuti in eorũ Actis capite decimonono legitur: Multi illorũ (ait textus) qui in rebus curiosis se exercuerant, apportarunt libros suos, & illos coram omnibus combusserunt: ac postea computato eorum pretio, quinquies res millenas argenti partes constituere eos inuenerunt. Adeo videlicet feliciter verbum Dei proficiebat, & indies magis magisq; confirmabatur. Merito enim, quidquid istiusmodi pestilentiũ & corruptione plenorum librorum reperitur, vna cũ suis auctoribus, comburi debet & cõcremari: nam si eos qui monetæ adulteratæ rei peraguntur, nemo est, qui non iuste supplicio affici arbitretur; cur non idem in illos etiã statuatur, qui falsis dogmatibus Fidem corrumpunt, quæ ideo ordinata & instituta est, vt spiritualem vitã sustentet, haud illam aliquanto corporea præstantiorem? Est enim plane Hæresis eius naturæ, cuius Lernæam Hydram fuisse à Poetis proditum est, cui si caput vnum amputauisses, repente alia de-

cem

cem subnascebantur, donec tandem in ignem deuoluta combusta fuit ac cōflagrauit. Memini ego fuisse, quando de Sacra scriptura, tametsi indignus, cum Illustri Regina Nauarrę conferebam, mirabili reuera illa sapientiæ dono delata, & iuxta humilitatis (quæ mirum est quātum reliquis eius virtutibus lucis splendorisque attulerit) & cum inter reliquum sermonem de Altaris etiam Sacramento colloquium instituissemus, referebat illa mihi, librum se quendam Zuinglij hæretici in ignem coniecisse, quòd videlicet infelix ille præsentiam Seruatoris nostri Iesu in Sacramento illo abiuraret. Hoc ego factum prout par est, nō parum admirans, & quod bellè exemplare esse arbitrabar, nequaquam mihi hoc in loco duxi esse omittendum. Et reuera istiusmodi libros comburendo, tantum abest vt iactura aliqua consequatur, lucrum potius sequitur, & minimùm cineres combusti relinquuntur.

## DE CONDITIONE ET PROfectu studiosorum Collegij Sapientiæ.

### CAPVT III.

CVm certum & indubitatum sit, non

omnes legis Doctores; aut in scripturis sacris exercitatos, appellari posse ac salutari propter diuersitatem scilicet vocationũ humanarum, & differentia, dona Spiritus S. qui gratias suas secũdum suũ beneplacitum partitur atque distruit: cumque hactenus perpendetimus quemadmodũ in Sapientiæ suæ Collegio certos Regentes Magistrosq; constituerit & ordinarit, videndũ iã nunc est, quemadmodũ istorũ Auditores, si fructũ ac profectũ aliquẽ facere cogitẽt, dociles, attẽti, beneuolosq; esse oporteat. Est enim admodũ hoc boni Discipuli officiũ tribus istis pũctis breuiter cõprehensum, videlicet attentione, beneuolentia, & docilitate: ita vt se attẽtũ in audiendo præbeat, docilem in intelligendo, & beneuolũ in retinendo. Cęterũ qui istius scholæ Auditorẽ sese profitetur, cauebit ne freqũeter per plateas & ciuitatis ãgulos oberret, tabernas popinasq; frequẽtet, choreas adeat, pompas cõsectetur, cõmessationibus & luxuriæ indulgeat, conuiuia agitet, vbi plærumq; lingua effrenior, corpus segnius, & mens dissolutior efficitur: hæc enim præsentissima ingeniorũ pestis est, & spiritualis profectus, si quod aliud, grauissimũ impedimẽtũ. Scientia seminis instar est, quod emergere extrereq; se non potest, nisi solo be-

ne ſubacto ac proſciſſo obtegatur: ita a-
nimaᵒ ſtudioſi illud agere cũ primis debet
vt doctrinã monitaq; Magiſtri ſui quodã-
modo incorporet, quẽ non minus quam
ſtudiũ ipsũ diliget: patrẽ videlicet illũ eſſe
cogitans, cuius cura operaq; excultũ in-
genium ſciẽtiarũ perfectionẽ aſſequatur,
ad differentiã patris carnalis, qui corpus
efformauit atq; produxit. Iam præceptor
etiam ſigilliferi inſtar eſt, qui ſigillũ inge
nio imprimere cogitat, quod ceræ non
abſimile eſt, quã calidam eſſe oportet, vt
ſigni impreſſionem recipiat, aut fruſtra
id conaberis. D. Thom. in ſumma de ve-
ritate, quæſt. 11. de magiſtro ait, *Magiſtrum
cauſam eſſe ſcientiæ in diſcipulo, quemadmodũ
medicus cauſa eſt ſanitatis in ægroto*, id eſt
quando natura & opus concurrunt & ſe
inuicem iuuant: & ſic oportet ſtudioſum
ac diſcipulum magiſtro ſuo cooperari
Et quamuis ea quæ hactenus prolata
ſunt, omnibus omnino cuiuſcunque de-
mum artis ſtudijs neceſſaria ſint, ſunt ta-
men adhuc lõge alię conditiones, ijs ne-
ceſſario obſeruandæ, qui in Vniuerſitate
virtutũ ſub magno illo magiſtro Ieſu ſa-
pientiam haurire cupiunt. Prima condi-
tio eſt, vt quotquot in hac ſchola pru-
dentes euadere deſiderant, ante ſtulti
fiant, & ſaipentiam in ſtultitia inue-

ſtigent: de hac admiranda conditione D. Paul. loquitur, in 1. epiſt. ad Corinth. ca. 3. *Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſeculo, ſtultus fiat, & ſit ſapiens: ſapientia enim huius mundi ſtultitia eſt apud Deum.* Eodem videlicet pacto, quo paupertas diuitiæ apud illum ſunt, & cõuitijs onerari apud illum gloria exiſtimatur; ita quæ apud mundũ ſtultitia reputatur, coram Deo ſapientia eſt, quemadmodum Apoſt. cap. 1. dictæ Epiſtolæ teſtatur, cum ait: *quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus, & quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus.* Ita quiſquis Ieſum ſaluatorem noſtrum, in domo Herodis, per ludibrium veſte alba indutum conſpexiſſet, iudicaſſet reuera ſtultum illum eſſe, cum interea ſub hac ſtultitia vera ſapientia lateret abſconditaque foret. Ita martyres patientes, iniuriam pro iniuria non inferentes, fuſtes ac plumbata quibus cæderentur offerentes, ſi intuiti forſitan fuiſſemus, cum mũdo exclamare potuiſſemus. Ecce ſtultos, ecce inſenſatos, ecce beſtias, quæ ſe vindicare, quæ ſe defendere non poſſunt? legimus in libro ſapientiæ Cap. 5. quod dãnati eos intuentes, quos in mundo contempſerant, adeò à Deo honorari & exaltari, inter ſe dixerint: *Hi ſunt quos aliquãdo habuimus in deriſum*

*ſum*

*ſum & in ſimilitudinem improprij: nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam & finem illorum ſine honore: ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors eorum eſt.* Latebat ergo ſub ſtultitiæ pallio inſignis ſapientia; Quemadmodū etiam Dauid coram Rege Achis ſtultus reputabatur, cum videlicet; ſpumaret, & ſaliua illi in barbam deflueret, cum ſe portis illideret; & faciebat ille nihilominus opus plenum ſapientia, & magnanimitate: Hoc enim modo mortem effugit, quemadmodum libr.1. Reg.cap.20.ſcriptum eſt. Ad hunc etiā modum Brutus Romanorū Conſul ſtultitiam aliquandiu ementitus, ſapientis nomen meruit atque accepit. Nam & ſecundum ſententiam parui Canonis *Stultitiam ſimulaſſe loco, ſumma prudentia eſt.* Maneat ergo hanc Sapientiæ ſtudioſorū cōditionem eſſe, vt mundo deſipiant, & in ſtultitia ſapientiam quærant, volentes coram Deo ſapientes effici prudentesque exiſtimari; quemadmodum D. Paul. epiſt. 1.ad Corinth. cap. 1. ait: *Non in ſapientia verbi, vt non euacuetur crux Chriſti: verbum enim crucis pereuntibus ſtultitia eſt, his autē qui ſalui fiunt, id eſt, nobis, Dei virtus eſt*; & ſequitur, ſcriptum eſt; Ego deſtruam ſapien-

pientiam ſapientum, & reprobabo prudentiā prudentū. Vbi iā nunc ſapiens eſt? vbi ſcriba? vbi diſputator, vbi inquiſitor huius ſæculi? An non Deus mundi huius ſapientiam ſtultitiam effecit? Nam poſtquam in diuina Dei ſapientia mundus Deum non cognouit, placuit Deo per ſtultitiam prędicationis credentes ſaluare: pręſertim cum & Iudęi ſignū peterent, & Græci ſapientiam inueſtigarent. Nos autē Ieſum Chriſtum crucifixū prædicamus, qui reuera ſcandalum Iudæis eſt, & ſtultitia Græcis; verum iiſdem, qui tam Iudæi quā Gręci appellantur, Ieſum Chriſtum potentiam & ſapientiam Dei prędicamus: Inſipiētia enim ac ſtulta Dei (quēadmodum mundus vult) hominibus ſapientiora ſunt, & infirma Dei hominibus firmiora. Conſiderate namq; mihi vocationem veſtram Fratres mei, quia non plerique veſtrum ſecundum carnem ſapientes ſunt, non plærique nobiles, non plærique potentes: verum elegit Deus infirma huius mundi, vt ſapientes confunderet, elegit debilia, vt fortes confunderet; elegit denique vilia & abiecta coram mundo, & ea quę nō ſunt, vt illa confunderet, quæ ſunt: ne videlicet caro aliqua corā illo gloriari poſſet. Ecce tibi hoc loco lu-

co locupletem admodum & luculentum testem Apostolum, quomodo sapientia sub mundanæ stultitiæ inuolucris tecta absconditaq; iacet. Accepimus memoriã de septẽ Græciæ sapientibus, qui quoniã vel primi omniũ scientias rerũ naturaliũ persecuti sunt, vel quia melius & felicius in earũ tractatione versari videbantur, id demũ consecuti sunt, vt soli ipsi sapientũ nomine afficiendi censerentur. O miserũ & calamitosum sęculum, ait Lactantius, in quo, tametsi vniuersum mundum trãscurrisses, septem tãtũ inuenire homines erat, quos vera hominis appellatione dignos posses existimare! Neq; enim quenquam tu hominem rectè nuncuparis, qui etiã sapiens simul non sit: verum si cæteri omnes, septẽ istis exẽptis, stulti ac insipiẽtes erant, illud tamen nequaquã sequitur, ipsos illos, quos vos veteres excipiebatis sapiẽtes, ita videri appellari debuisse: neq; enim is reuera sapiens audire potest, quẽ stultorum hominum vana & temeraria iudicia insigni isto titulo affecerunt. Cæterum septem istos iam tactos, Solonem scilicet Atticũ, Chilonẽ Lacedæmoniũ, Cleobulũ Lydũ, Thaletem Milesiũ, Biantem Prienæum, Pittacum Mithilenęum, & Periandrum Corinthium, innumeri

alij ſubſecuti ſunt, qui cum verecundioſes paulo eſſent, & ſapientũ ſibi titulum temerius arrogare non auderent, admodum ijs placuit, vt Philoſophos, id eſt ſapientiæ amatores ſeſe vocitarent, quorũ Anteſignanus & Princeps facile Pythagoras fuit, qui poſtea ingẽtem ex ſe multitudinem proſeminauit. Hi ergo quamuis ſtudiorum cauſa in diuerſos mundi angulos proficiſcerentur, modo apud Indos, modo apud Aegyptios, modò inter Perſas celebriores ac laudatiores mũdi ſapientes perſequerentur, nihil tamen minus hac ipſa ſapientia, ad quam velis remiſque contendebant, conſequi in dipiſciq; potuerunt: nolebat enim Deus, qui ſapientiam ſuam ſtultitiæ titulo occultabat, ſecretos & inæſtimabiles illos theſauros ſuperbis & arrogantibus patere obuioſque eſſe. Atque hinc etiam factum eſt, quod ſupradicti iſti Philoſophi, in Iudæam non diſceſſerent, in qua vero cognitio Dei, & ſublimis ſacrarum ſcripturarum ſapientia hauriebatur; ſed tãtummodo ad Aegyptiorum Magos conuolarint, qui exterius abſolutam quandam mundi ſapientiam mentiebantur, cum tamen nihil minus quam vel leuiſſimas eius vmbras præſeferrent; quemadmo-

admodum Dominus noster in Euangelieo ait: *Confiteor tibi Domine Pater cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis.* Est videlicet hic thesaurus ille absconditus in campo sacrarum Scripturarum: est etiam hæc diuinitas Redemptoris nostri in illius humanitatis campo occultata: est inquam hic thesaurus ille, quem qui inuenit, omnia vendit, vt eum possideat, nulli rei parcit, vt eum accipiat. Et quamuis ij, qui pro illo nihil non exponere contemnereque reformidant, stulti ac prodigi apud mundum plerumque audiant: habet tamen isthęc stultitia exaggeratius aliquid, & veræ sapientiæ nomine (vt ita dicam) canonizata est. Accedit nunc secunda huius Collegij studiosorum conditio, qua nihil antiquius puritate ac vitæ innocentia vt habeant, commonefiunt: vnde Sapiens cap. 1. Sapientiæ ait: *In maleuolam animam non introibit sapientia, neque habitabit in corpore subdito peccatis.* Et eiusdem libri cap. 7. *In animas sanctas se transfert* subaudi, *sapientia:* & in Ecclesiast. ca. 1. *Fili concupiscens Sapientiam, conserua iustitiam, & Deus præbebit illam tibi.* Facit etiã ad hunc locum quod Ruffinus de admirando illo Christiani orbis lumine vete-

re Doctore Gregorio Nazianzeno, ac D. Hieronymi præceptore narrat: qui cum Athenis, omnium tunc ſcientiarum penore, ſtudijs operam nauaret, aliquando ſuper libri cuiuſpiã lectione indormiẽs, pulcherrimas cultiſſimaſque duas Virgines Muſæum ſuum ingredi conſpicatus fuit: quæ cũ illi poſtea aſſediſſent, vnaq; dexterũ, altera vero ſiniſtrũ illi latus clauſiſſent, hic cõfeſtim pudico vtramq; oculo intuẽs, cuius rei cauſa aduenerint, ſciſcitatur. Tum vero confeſtim illæ inter mutuos amplexus dicere: Ne te quæſo aduentus hic noſter male habeat, ſumus enim nos intrinſecæ tuæ, tibi optimè cognitæ, & à te ſemper ſtudioſiſſimè obſeruatæ: Altera ex nobis Sapientia audit, altera Caſtitas appellatur, ambæ autem ad te miſſæ ſumus, vt tecum viuamus, & domicilium noſtrum defigamus; ſiquidẽ dignum noſtro conſortio habitaculum in puro ac mundo tuo corde nobis apparuiſti: Simile huic & affine eſt, quod de Diuo Thoma Aquinatẽ perhibetur, quẽ cum ſuorum diſcipulorum quiſpiam interrogauiſſet, ecquid facto opus eſſet, vt tam humanarum, quam diuinarum rerum cognitionem adipiſceretur, reſpõdit, quemadmodum in ipſius ſexageſi-

mo octauo opusculo videre licet. Mea exhortatio, & tua instructio, charissimè fili Ioannis, talis est. Suadeo vt parum loquaris, puritatem conscientiæ ames, & orationi vacare nunquam desistas. Atque hæc tertia Sapientię studiosorum cōditio est, quod plus scientia, oratione, quam ingenij contentione & in defesso studio consequantur: quia S. Iacobus cap. 1. Canonicæ suæ epistolæ ait: *Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei, postulet autem in fide nihil hæsitans.* Cui Salomon consentit cap. 7. Sapientiæ aiens: *Optaui & datus est mihi sensus, inuocaui, & venit in me spiritus Sapientiæ.* Quomodo autem petierit, & inuocauerit, id cap. 9. dicti libri apparet, vbi ait: *Deus patrum meorum, & Domine misericordiæ, qui fecisti omnia verbo tuo, & sapientia tua constituisti hominem, vt dominaretur Creaturæ, quæ à te facta est, & disponat orbem terræ in iustitia & directione cordis iudicium iudicet, da mihi sedium tuarum aßistricem Sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis, quoniam seruus tuus sum ego, & filius ancillæ tuæ, homo infirmus & exigui temporis & minor ad intellectum iudicij & legem:*

*& si quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo fugerit sapientia tua in nihilum computabitur: & tecum sapientia tua, quæ nouit opera tua, quæ & affuit tunc cum orbem terrarum faceres, & sciebat quid esset placitũ oculis tuis, & quid directum in præceptis tuis: mitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret, & sciam quid acceptum sit apud te.* His ergo verbis Salomon sapientiam à Deo postulauit & impetrauit; & ita nos eam petere docet, ac à cælesti illo numine efflagitare. Omisi ego verba quædam orationis illius inserta, & ea solum recitaui quæ vnicuique congruere conuenireque arbitrabar. Quarta studiosorum istorum conditio est, vt mutuò se amore complectantur, ac inuicem ament, quemadmodum honesti cõdiscipuli facere solent: & sicut Dominus noster Discipulis suis cap. 6. apud D. Ioannem faciendum esse demonstrabat, dicens: *In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei sitis, si delectionem habueritis ad inuicem, sicut ego dilexi vos.* Discipulos Pythagoræ tacirurnitas prodebat: Mosaicos tunicarum limbi: & hominum fere discipuli cæterorum, signis quibusdam exterioribus tam malis, quã bonis facillimè dignoscuntur; verum au-

tem Redemptoris Iesu discipulum te esse, aliud indicio non est, quam charitas: quemadmodum & ille nos amauit, baiulans Crucem suam pro nobis, & acerbissima quæque tormenta grauissimasque pœnas perpetiens: hunc ergo sequi, hunc imitari Discipulos suos docet; hoc enim plane modo, sicut Epicurei ab Epicuro nomen acceperunt, sicut Platonici à Platone dicti appellatique fuerunt, ita illi à Christo veri Christiani audient, & nuncupabũtur: indigni cęteroqui sancto isto titulo, & non nisi opere & factis eo afficiendi: dictum enim est apud D. Lucam cap. 14. *Qui non baiulat Crucem suam, & venit post me nõ potest meus esse Discipulus.* Agamus ergo hoc vt supradictæ conditiones in nobis reperiantur, præcipuè autem postrema illa charitatis & dilectionis, & nihil morabitur, quia confestim IESV Christi Discipuli nominari possimus ac salutari. Ad quod sæpenumero S. Ioannes Euangelista Discipulos suos exhortabatur, qui subinde instructionem aliquam à Magistro suo iam decrepito postulantes, aliam nunquam acceperunt, quam istam: Filioli viuite in charitate & amore ad inuicem.

## QVOMODO STVDIOSI MAgistros suos revereri, & cum ijs sermonem instituere debeant.

## CAPVT IIII.

AVthor est Aristoteles in libris quos de Philosophia Morali conscripsit, Deo, parentibus & Magistris seu Præceptoribus, pro magnitudine beneficioru̅ acceptorum satisfacere neminem posse: vnde & nobis in primis curis esse debet, vt Discipuli probè & accuratè instituantur, quomodo Magistros suos reuerer ac obseruare, & quomodo tum ijs in omni subiectione ac humilitate quā modestissimè debeant sermocinari. Noster Magister, noster Pater, noster Deus non nisi vnus est, qui simul tribus istis officijs defungirur: quomodo ergo nos sufficienter verbis & opere illustria illius eximiaq; beneficia ibimus recompensatum? Id quidem haud aliquanto viribus nostris maius est, loquendi autem cum Deo ac verba commutandi, hanc ferè rationem ex sacris literis depromimus ac mutuamur; *Iustus in principio sermonis est accusator sui ipsius*; est namque hoc verum boni serui officium qui cum Magistro aut Hero

suo

ſuo verba facit, de ſuo iure decedere, ſe iniquum, Dominum autem æquum confiteri. Ita & creaturis coram Deo Creatore faciẽdum eſt, vt videlicet ſeipſas accuſent, ſe ipſas deferant, ſeipſas reprehendant, quemadmodum fidelis Abraham faciebat dicens: *Loquar ad Dominum meũ cum ſim puluis & cinis*. Animaduertendum verò eſt, quod in Scripturis ſanctis in ſermonibus Prophetarũ, & Euãgeliſtarum, Deus loquatur; quodq; è cõtra in orationibus nos eum alloquamur, explicantes videlicet paupertatem noſtram, & petitiones quibus ab eo ſatisfieri petimus exponentes. Quo verò ſapienter in Oratione locuti fuiſſe videamur, duo admodũ ante conſideranda factuq, neceſſaria ſunt, quã ipſam Otationem adeoq; alloquiũ noſtrũ auſpicemur. Oportet ergo primum videre quiſnã ille ſit cũ quo ſermonem inſtituere, ideſt, quem orare velimus; nam ſi is qui cum Rege ſeu Principe aliquo tẽporali verba facere cogitat, ita ſe quam ſtudioſiſſimè gerere tractareque contendit, ne forſitan incompoſitis moribus, aut geſtu aliquo incondito Regiam Maieſtatem offendat, ſed maximè verbis ad propoſitum accommodatis addictum ſibi beneuolumque

eſſe

efficiat: quanto iuſtius non modo hæc, ſed plura longe, atque haud paulo accuratius cum Deo locuturos obſeruare par eſt? Si Creatura Creaturæ, ſi homo homini, ſi mortalis mortali honorem obſeruantiã, reuerentiamque adhibere non dubitat: quid nobis faciendum eſt, qui coram Diuina Maieſtate compariturі, & ante illius thronum, ad quem Angelicæ poteſtates contremiſcunt, neceſſitatem noſtram explicaturi ſumus? Aberunt ergo tum curioſæ & inſolentes oculorum circumuolutationes, aberrunt mentis peregrinationes, cogitationum euagationes, quod omnino facile conſequemur, ſi ſupremæ diuinitati nos aſſiſtere, & cæleſti iudici præſentes aſtare nos cogitemus. Cui quidem cogitationi ea etiam conſideratio adiungenda immiſcendaque eſt, qua nos diuinæ bonitati ſiſti, illique velut benigniſſimo noſtro Patri adeſſe nos recordabimur; qui ipſemet ad ſecum loquendum humaniſſimè nos inuitauit, dicens: *Petite & accipietis*. Et excitauit ille nos ad precandum, ſpem certam faciens futurum vt petitioni noſtræ ſatisfiat, non autem vt illa non excipiatur aut non exaudiatur. Conſequemur porro altera harum conſiderationum,

vt

vt eum ceu Regem timeamus; altera vt illum non aliter quã parentem amemus & in eo spes nostras collocemus: etenim si Creator noster est, reuera & Redemptor est: & si Magister, etiam Pater: ac tametsi ego nomen filij per peccatum amiserim, ille tamen nihil minus, quam Patris nomen perdidisse existimandus est. Sistam ego me oraturus Iudici formidoloso, fateor; at sistã me iuxta Redemptori benignissimo: ideo namque mortem oppetere voluit, vt me saluaret, non ideo in mundum venit, vt me condemnaret. Sistam ego me Deo iustissimo, imò qui ipsa iustitia est; at illud etiam considero, vitam hanc veniç implorandæ datum esse; & quò çquior iustiorque ille est, hoc scio melius promissis suis stabit, cum in Euangelio ait: *Petite & accipietis.*

Secunda cogitatio, seu si mauis, consideratio á supplicè & Deum allocuturo suscipienda hæc est: vt videlicet expendat, quisnam ille sit, qui cum Deo colloquium instituere desiderat, id est, vermis, terra, cinis & putredo, vas immundum, & indignus peccator: hic inquam sibi hoc sumit, hic sibi hoc arrogat, hic se sermoni & colloquio diuino ingerere non veretur: hoc inquam lutum cum Sole, hic infir-

infirmus cum medico, hic reus cum ipsa sanctitate verba cõmutare affectat. Prosternemus nos hac contẽplatione coram Deo, quãtoq; amplius ante illũ humiliabimur, tãto propius ei cõiungemur. Ecce tibi itaq; nunc considerationes ac præmeditationes ante adhibendas quã cum Deo colloquare. Et idcirco Hugo de S. Victore ait, meditationes istiusmodi orationem ipsam prçcedere oportet, vt videlicet immensam nostrã miseriã perpẽdamus, & vna infinitã Dei misericordiã in memoriã nobis reuocemus: quã ille nũquam eos desiderares passus est, qui illã petierunt, & humilibus à se precibus efflagitauerunt: generat enim continua talis meditatio scientiam: scientia autem iam sic acquisita ignorantiam pellit, & compunctionem contra inferit; cõpunctio deinde negligentiam & torporem inijcit, & deuotionẽ progignit; deuotio vero orationem perfectam facit: Scientia est, cum homo sui ipsius cognitionem consequitur, ac ea illuminatur: Compunctio, quando per considerationem malorum suorum, & peccatorum designatorum, interna deuotio excitatur. Deuotio est humilis & feruens actio circa Deũ, à compunctione generata: anima e-

nim

nim perculsa & obstupefacta multitudine suorum delictorũ cognitorũ, suisque iam tum viribus ac sibiipsi diffidens, ad Deũ se cõuertere cõstituit, & tanto ardẽtius feruentiusq; auxiliũ illius implorat; quãto clarius manifestiusq; intelligit, vbi à Deo discessum fuerit, neminẽ se habere ad quem fugiat, & de cuius potentia aliquid sibi appromittat. Cæterũ in hac deuotione tres virtutes Theologicæ reperiũtur, Fides, Spes, & Charitas; neq; enim peccator tanta cũ deuotione Deo suo aduolueretur, nisi certa fide recrearetur, saluare illũ se posse, & nisi firma spe sustentaretur, veniam sibi illum fore facturum. Et denique nisi eum amore complecteretur, peccata admissa non detestaretur, & Deo potius adhærere eligeret. Credit ergo, sperat, & amat: credit potentiam, sperat misericordiam, amat Dei sui fidelitatem. Atque vt breue faciam, vel ex hoc intelligi posse dico orationem aliud non esse, quam deuotarum cogitationum exercitium, idest, conuersionem ad Deum, per feruentem affectum, fide spe, & charitate sustentatum, qui sanctam medationem præcedere præcurrereque debet. Porro meditatione isthac examinata, quomodo studiosi

Deum

Deum precari, quomodo cum Deo & Magistro suo verba instituere debeant, tempus est vt considerandum esse videatur. Et spectat ad hunc locum illud, quod apud S. Luc. cap. 11 legitur. *Factum est cum esset Iesus in quodam loco orans, vt cessauit, dixit vnus ex discipulis eius ad eum:* Domine *doce nos orare sicut docuit Ioannes discipulos suos. Et ait illis: cum oratis dicite, Pater sanctificetur nomen tuum &c.* Atque hæc Dominica illa Oratio est, quam in Dialogo nostro explicauimus, qua nos Deus modum cum Deo loquendi, & illum orandi docet. Et quoniam eo in Dialogo explicationem illius fuimus persecuti, supersedebimus hoc loco eam retexere & iterare: præterquam quod alius etiam adhuc Doctor est, Sanctus spiritus puta, qui nobis præclaram orandi methodum præscribit, quemadmodum D. Paulus ad Rom. cap. 8. ait: *Similiter autem & Spiritus adiuuat infirmitatem nostram: nam quid oremus nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Verum quomodo nobis Spiritus succurrit? quomodo pro nobis interuenit ac intercedit? Auxiliatur nobis principis dum carnem subijcere, tentationes frangere, & aduersariorum impetus facit declinare: pre-

catur

catur deinde pro nobis, quum quæ precanda ſint ſuggerit atque inſpirat; reuera à Magiſtro aut Præceptore aliquo non abſimilis, qui vt puerum bene erudiat atque informet, literas, ſyllabas, & Alphabetum memoriæ illius inſculpat, libenter pueri ignorantiæ ſe accommodat, tabellamque in manus illi porrigens, ait; Fili mi, ſequere me dicendo a, a, b, b, : ita vt Magiſter literas primum efferat atque efformet, & ille poſtea repetat, & ex illius ore quaſi præmanſas accipiat. Eodem ergo modo Spiritus Sanctus corda noſtra erudit, inſpirando quid orandum ſit, & quid cum aſſiduo gemitu lachrymiſque poſtulandum; admodum enim reuera eo indigemus, & vt id fiat opus habemus: ambulamus namq; in hoc mundo compediti, & reſtem collo iniectum circumferimus: nutrimus inimicum noſtrũ domeſticum, qui caro eſt, è peccato nata, in peccato alta, & ex vitioſa natiuitate proſeminata, ac denique longo vſu & conſuetudine Deum offendendi corrupta ac vitiata: per hanc aduerſarius noſter in quamlibet ruinã nos impellit, deſideria infanda ſuſcitat; in hac per virulentas ſuggeſtiones ignem concupiſcentiæ excitat, affectus inflammat, motus

illicitos accẽdit, occasionem & materiã peccandi suppeditat, & continuo astutis subdolisq; artibus corda nostra tentare non cessat;per hanc nõ aliter quam proprio fuste nos cędit: per hanc non aliter quam per proprias pedicas capit. Ita ergo modis omnibus vexati atq; afflicti, opus reuera habemus, vt quotidie & indesinẽter Dei auxilium imploremus & sæpenumero perorationem cum illo colloquamur, sermonemq; instituamus. Ob hãc deinde causam, supremus ille Vniuersitatis architectus, adeo fragiles esse nos voluit, ideo nos in medio inimicorum nostrorũ constituit, vt eorũ cõtinuas machinationes & contra nos expeditiones intuentes, ad ipsum cõtinuo recurramus, & humilibus precibus auxiliũ illius efflagitemus. Iam si illud etiã intelligere desideras, quibus ferè modis effectũ dare possimus, vt quod petimus, vt quod oram⁹, id cõfestim impetremus ac obtineamus: dico quatuor admodũ modos esse, quib⁹ aliquid ab altero in hoc mundo plerũq; obtinere soleamus. Primus est, cũ infirmitatẽ nostrã, cũ paupertatẽ, cũ miseriã ostẽdimus, quẽadmodũ mendici faciunt, qui Basilicarũ valuis assidentes, magna sæpe vocis cõtẽtione calamitates suos explicant

cāt, quo facili⁹ homines ad misericordiā & cōpassionē valeant excitare. Atq; hic modus propri⁹ humilib. est, qui paupertatē miseriamq; suā cognoscentes, facile quidlibet à Deo possunt impetrare. Et orabat adhūc modū Rex David, dicens: *Miserere mei Domine quoniā infirmus sum.* Et alibi: *Respice in me & miserere mei, quoniā unicus & pauper sū ego.* Ita etiā Salomō à Deo impetrauit, quod postularat, dicens, quēadmodū li. 3. Reg. c. 3. legimus. *Ego ignorās sum, da seruo tuo cor docile, ut ducā populū tuū.* Ita quoq; exaudit⁹ fuit in Euāgelio Publicanus, dicēs: *Deus meus, esto propitius mihi peccatori.* Secundus modus est, quo aliquid à quopiā impetramus, munera & dona offerendo: beneficium enim beneficio elicitur, & meritum non nisi merito recompensatur. Ita nos in paupertas beneficij ac liberales sumus, ita in egentes ac inopes fortunas nostras erogamus, quò facilius preces & orationes nostræ à Deo exaudiantur: eleemosyna enim propter honorem Dei fit, qui eam non aliter, quam sibi data foret, acceptat: & ideo in Euangelio ait: *Date, & dabitur vobis.* Ita è cōtra diuiti epuloni aquę etiam guttula denegata fuit, & meritò: noluerat enim vel micas è

men-

mensa sua decidentes mendicāti Lazaro elargiri: Regina autem Saba quidlibet facilè à Rege Salomone impetrauit, quia videlicet donis illum prçuenerat, & sibi facilem addictumque effecerat. Tertius modus quippiam ab altero impetrandi est, per amicos & intercessores aliquid efflagitare; & ita plurimorum preces à Deo exaudiuntur: ideo Processiones generales, & supplicia Vniuersalia in Ecclesia instituuntur, quando videlicet pacem Deum poscere vult, aut aliud quidpiam à Deo postulare; cui etiam Dominus noster capite octauo apud S. Matthæum adstipulatur, dicens: *Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcunq; petierint, fiet illis à Patre meo.* Ideo nos ad Sanctorum preces recurrimus, ideo mutuis suffragijs, & sanctis sacrificijs alter alterum adiuuamus. Quartus aliquid obtinendi modus est per blanditias & cōmendationes: quibus ita animum cuiuspiam capimus ac demulcemus, facere vt non possit, quin petitioni nostræ satisfactum eat; vt si alicuius auos aut maiores ab insigni liberalitate & munificētia in obuios quosque commendemus. Vtebatur isthac ratione Hester erga Assuerum, dicens Faciem eius admirabi-

lem

lem esse, plenam gratia, & potius angelo quam homini similē: & ideo postea Rex illi ait, pete Hester quidquid volueris, & tametsi mediam partē Regni mei petas, habebis. Ita nos Deum precaturi, hanc sanctam quasi adulationem adhibebimus, vtilem reuera & cum primis in hoc genere salutarem; commemorātes illius beneficia quibus nos affecit, & insignem illius bonitatem recolendo, quam nobis hactenus monstrauit. Et erat hoc etiam consilium S. Pauli cap. 3. ad Philipp. dicētis: *In omni oratione & obsecratione cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum.* Quintum ac postremum precandi modum importunitas constituit, quando videlicet repulsam passi absterreri nos non patimur, sed indesinenter misericordiæ diuinæ ostium pulsamus, donec ab ea exaudiamur. Docuit hoc nos Seruator noster, apud D. Lucam capite vndecimo, vbi parabolam amici panem de nocte ab amico altero mutuum accipientis persequitur, quam ita deinde concludit: *Petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis.* Hac importunitate S. Monica vsa conuersionem D. Augustini filij sui à Deo impetrauit; Hanc indefessam instantiam Magi-

ster Iordanes Generalis Ordinis nostri post D. Dominicum intelligebat, dicens ideo se libenter diutius cum Deo in Ecclesia commorari & sermonem instituere, quod sciret, fieri non posse, vt absque dono aliquo ab eo recederet. Atque hi quinque illi modi sunt quidlibet à Deo obtinendi ac impetrandi. Deniq; vt hanc materiam concludamus, tria admodum studiosè alicui obseruanda sunt, qui orationem, aut epistolam aliquam ad Deũ dicere aut enarrare vult: vt videlicet insinuet, captet, ac postulet; insinuabit autẽ miseriam & egestatem suam, captabit Dei beneuolentiam; & denique veniam & delictorum suorum remissionem postulabit: insinuatio humilitatem pariet, quippe quæ calamitates & vulnera nostra detegit: hanc sequetur diuinę clemẽtiæ commendatio, quæ cor humile & contritum frustra orare non permittit: vltimo postulationem instituemus, qua petitionem nostram explicabimus, & vt solita Deus erga nos misericordia vtatur illum obsecrabimus. Discamus ergo iam nunc bene cum Deo loqui, itaque orationem & sermonem nostrum conformare, quò oratio nostra exaudiatur, & supplex precatio repulsam non patiatur.

De

## *DE PVLCHERRIMIS LIBRIS qui in Collegio Sapientiæ leguntur.*

### CAPVT V.

CAEterum ne Discipuli superba quadam ignorantia, aut rudi & ignorãte Superbia acti, minus se feliciter in suscepto studiorum suorum cursu progredi proficereq; posse quiritarentur, propter librorum scilicet, qui ad ea requiruntur inopiã, sapienter admodum Magister eorũ & Præceptor Deus, in qualibet mundi ætate, de optimis illis elegantissimisque semper libris prouidit. Eorũ primus appellatur liber Naturæ, de quo Psalmista ait: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciant firmamentum.* Cui D. Paulus adstipulatur cap. 1. ad Roma. scribens: *Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus eius & diuinitas, ita vt sint inexcusabiles,* illi videlicet, qui per creaturas Deũ nõ cognouerunt, & eũ glorificare non voluerũt. O Discipuli Iudæi & Gẽtiles, quid respondebitis Iudici, quãdo vos vt discholos accusabit? Nũq. d'ignorãtiã allegabitis

aut Typographos insimulabitis, quod libros vobis ad studia necessarios non impresserint? Certè ordo cælorum satis superque vobis demonstrauit, Deum aliquem esse, eos qui condiderit, & fabricatus sit. Si liber aliquis manu scriptus in vsu fuisset, rudi alicui & illiterato is obueniens reiectus fuisset, illeque dixisset. Nō intelligo ego isthæc, non cognosco: verū quis iam excusare se audebit, ac dicere, opera Dei se non vidisse, non aspexisse? Hæc enim quolibet idiomate vsa sunt, hæc qualibet lingua omnes omnino mundi nationes docuerunt, quis eorum Conditor, & Creator esset. Opera Dei dico, & ordo rerum temporalium, quem videmus, manifeste nobis ostendunt, nisi fungi ac veruec es sumus, Oeconomum aliquem esse, & supremum omnium Moderatorem. Certè cum Anaxagoram celebrem illum Philosophum non nemo interrogauisset, cur natus in hunc mundum sibi videretur, respondit; vt Cælum intuear, & hunc lucidum Solem: in quo Lactantius meo quidem iudicio nō male, libro tertio de falsa sapientia, eum reprehendit, dicens; non ideo nos in hunc mundum missos, vt quæ facta sunt videamus, sed vt omnium factorem, illius o-

pera

pera considerando, contemplemur. Quis te, ô Philosophe, in hunc mundum velut in theatrum aut spectaculum aliquod introduxit? Cui bono hoc est, quod Cælū, quod astra contemplaris? an non vt vastum & immane illud opus commendes, & in eo Deum glorifices? Fateare ergo & agnosce Deum aliquem esse omniū horum Architectū, ac sapientissimum Conditorem, quæ ideo condita sunt quo videlicet testimonia quædam sapientiæ suę sint, & suarum laudum buccinæ, & insignium encomiastæ. Intueris Cælum, non nisi attonitus, aspicis Lunam nō nisi stupefactus, Solem denique ac stellas non nisi admiratione plenus atque perculsus contemplaris, & cur amabo non illi pariter gratias agis, qui beneficiorum istorum omnium Author & Elargitor est? Cur non illius virtutem, prouidentiam, potentiamque consideras, cuius facturas & opera admiraris? Necesse enim reuera est mirabiliorē multo illum esse, qui mirabilia isthæc condidit ac procreauit. At quæro ex te Philosophe, quam tu te insigniter sapientem, quam bellè gratum existimares, si à quopiam lauto & opiparo conuiuio exceptus, honestè habitus, ac liberaliter tractatus, magnificè epulas, vi-

num, & pocula commendares eum autē, qui tibi beneficij illud dedit, non laudares? non admirareris? Ad hunc ergo tu modum ipse facile intelligis, quam grauiter hallucineris, si maiorem delectationem ex Dei operibus, quam ex Deo ipso capis. Maneat proinde omnes omnino secundum mundi opinionem sapientes, omnia ad corpus, nihilque ad spiritum referentes, insigniter plane errasse, & in insipientia sua perstitisse. Et queadmodū discoli, ac insipidi studiosi, librorū suorū belle depictorū colorib' tantū capiūtur, literis maiusculis & variegatis ac Rubricis recreantur, & ineptæ huic ac puerili curiositati immorātur, nihil interim quid in ipsis libris cōtineatur, aut quæ ex ijs lectio illis addiscēda sit cōsiderātes: ita plæriq; Dei creaturas intuētes, ad voluptatē & oblectationē suā illis abutebantur, parū interim solliciti vtrū eū laude honoreq; suo nō priuarent, eas qui cōdidit, & procreauit Ob hāc deinde causā Deus post primū illū Naturæ librū, aliū insuper hominib' apparauit, quē scri pturā appellauit: de quo S. Paulus cap. 15. ad Romanos ait: *Quæcunq; scripta sunt ad nostrā vtilitatem scripta sunt, vt per patientiā & consolationē scripturarū spē habeamus.*

Vbi

Vbi obſeruandũ eſt, abſq; delicto & peccato hominis fuiſſet, nunquã nos hoc libro vſuros fuiſſe, tametſi doctrina diuina nequaquã deſtituti fuiſſemus: De⁹.n. humani generis Author ac Architectus initio homines alloquebatur, vt audiri intelligiq; poſſet; quemadmodũ de Moyſe accepimus, cui Deus nõ aliter, quã amicus amico ſolet, locutus fuiſſe perhibetur: quẽadmodũ etiã cũ Abrahã, Prophetis, ac alijs SanctisPatribus ſermonẽ eũ inſtituiſſe certũ eſt; verũ non loquebatur ille vnicuiq; iſthoc modo, propter peccatum videlicet, quo homo Dei inimicus factus erat: vnde nõ niſi per litteras aut internũcios eũ cõpellabat & alloquebatur. Itaq; ſi abſq; peccato eũ inueniſſet, interius aut exterius eũ erudijſſet, & quid facto opus eſſet, ſine libris & ſcripturarum ſubſidio pulcherrimè docuiſſet. Quare principio etiã cõmunis ille author Deus cor hominis purũ, mũdũ, ac nitidũ deprehẽdens, & inſtar papyri cãdidũ cõſpiciens, cõfeſtim in eo omniũ ſciẽtiarũ ipſi neceſſariarũ cognitionẽ exarauit; verũ poſtquã idipſum fœdatũ, maculis aſperſum, & Diaboli atramento oblitũ eſſe cœpit ac inquinatũ, ceſſauit Deus in eo ſcribere & voluntatẽ ſuam exarare; ſed præcepit confeſtim

Moysi vt sibi tabulas lapideas adferret, quibus digito suo omnipotenti legis mãdata impressit: quò videlicet lapideus hic liber longe chartaceo isto durior diutius etiam duraret ac superesset: qui tamẽ postea ab ipso Moyse idololatriã populi sui conspiciente laceratus fuit; & postmodũ refectus & ab eo rescriptus, in Arca fæderis depositus fuit, quo videlicet constaret vetus Testamentum abolitum esse & abrogatum, duraturum autem illud in Ecclesia quod Iesus Christus conscripsit ac exarauit. Porro hunc secundum scripturæ librum Discipuli nequaquam intelligere potuerunt, propter inuolucrũ ignorantiæ & incredulitatis quod eorũ oculis erat obductum. Et ob hanc reuera causam cum Moyses legem populo perferret & apportaret, velum faciei pręten sum habebat, quemadmodum Exod. trigesimo quarto legimus. Super quo D. Paulus quasi commentaturus secũda ad Corinth, cap. 3. ait: *Et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, vt non intenderent filij Israel in faciem eius, quod euacuatur, sed obtusi sunt sensus eorum vsque in hodiernum diem, idipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non reuelatũ, quod in Christo euacuatur, sed vsque in hodiernum*

*diem*

*diem cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum, cum autem conuersi fuerint ad Deum, auferetur velamen.* Iam liber iste scripturæ adeo plenus erat sublimiũ ac diuinarum scientiarum cognitione, ipsi vt Reges infideles in eo studere, eũque voluere desiderarint. Nam quemadmodum Sanctus Irenæus Martyr libro quinto vigesimo contra Hæreticos ait: Ptolomeus Bibliothecam suam amplissimam illam & ornatissimam, quam Alexandriæ erexerat, optimus quibusque libris stipare volens & decorare, septuaginta admodum Interpretes linguæ Grecæ & Diuinæ legis peritos Herosolymis accersiuit, qui omnes seorsim mysteria Dei in lege comprehensa aperuerunt, & declarauerunt; vnde Deus glorificatus fuit, & diuinæ literæ velut veraces honorificè receptæ fuerunt ac approbatæ: diuina namque inspiratione factum fuit, vt & describerentur, & verò in aliã etiam linguam transfunderentur: quę tamen postea succedentibus annis corruptæ, deprauatæ, adulteratæ, ac à Iudæis male intellectæ fuerunt, vnde eis in Euãgelio dicebatur: *Erratis non intelligentes scripturas*; prætereundo interim illud, quod antea dixi, cõbustas videlicet illas

 fuisse

fuisse. Quibus admodũ factum fuit, tertiũ vt librum gratiæ scilicet, qui Seruator Iesus est, Deus adiũxerit, qui alias liber vitæ, Testamentũ & pactũ pacis inter Deũ & hominẽ appellatur. De hoc Esai. ca. 8. vaticinatus fuit, cũ ait: *Et dixit Dominus ad me, sume tibi librũ grandẽ, & scribe in eo stylo hominis, velociter spolia detrahe, cito prædare.* Quib⁹ verbis subobscurè & tacite indicata est Iesu Christi seruatoris nostri in hunc mundũ aduenientis efficacia, quod videlicet genus humanum, nõ aliter quã prædam, Diaboli vnguibus eripuerit, & libertati pristinæ restituerit. Verũ hoc in loco nõ immerito argumentũ mihi formare quispiam possit, & hac obiectione vti quomodo vero fieri potest, vt Iesus Christus liber noster sit, nobis addiscendus ac euoluendus, cum paulo admodũ ante Scholæ illũ præfeceris & Præceptorem salutaris? Respondeo ego vtrumque verũ esse: vt videlicet & liber, & Magister sit: vult enim reuera ille omnia nobis esse, quemadmodũ se modo Pastorẽ, modò Agnum & Ouem, modo medicũ, modo medicinã, modo fontem, modo aquam appellat: tota namq; perfectio in ipso est, & ab illo procedit. Atque vt etiam clarè & euidenter videamus, librum illum no-

ſtrum eſſe, audiamus D. Ioannem, qui in Apocalypſi ſua capite quinto illum deſcribens ait: Vidiſſe ſe librum intus & foris ſcriptum, qui eſt Dominus noſter, liber vitæ appellatus; latet videlicet intus diuinitas, foris autē eſt humanitas; interius velut in Catalogo Epiſcopi aut ſuffraganei eorum nomina reperiuntur qui ordinandi ſunt, ceu iā ſufficienter examinati atque idonei: ita in hoc libro omniū eorum nomina ſcripta ſunt, qui aliquando ciuibus Angelicis annumerandi ſunt, & indigni nullibi in eo ſignati inueniuntur: quemadmodum cap. 12. Daniel. legimus: *Saluabitur omnis populus qui inuentus fuerit ſcriptus in libro vitæ*. Exterius in hoc libro (id eſt in Humanitate) tam in fine quam in principio, tam in natiuitate quam in Paſſione legimus: *Ego ſum Alpha & Omega, principium & finis.* Porro liber hic elegantiſſimus, ſcriptus fuit in papyro ſeu pergameno virgineo, in conclaui Dei, quod eſt venter virginalis Mariæ, per digitos ſubtiliſſimos Spiritus ſancti: ipſe autem Pater omnia ea dictauit ac recitauit, quæ eo in libro deſcripta ſunt & exarata. Hic liber poſtea in Paſſione correctus ac emendatus fuit, ſicut Pilatus de eo teſtatur, dicens: *Emendatū*

*ergo illum dimittam.* Fuit deinde etiam in flagellatione sua rasus, politus, & vulneribus punctuatus, illuminatus sanguine quem profudit, impositus pulpito sanctę crucis, & postremum in Resurrectione religatus ac reparatus.

Hunc librum si superbus euoluat, humilitatem ex capitis inclinatione discet; auarus ex manuū extensione liberalitatem; ex ruptura lateris inuidus charitatē; ex corporis nuditate diues paupertatem, ex felle & aceto gurges sobrietatem; ex coronatione voluptuarius pęnitentiam. O librum omnibus omnino Christianis euoluendum! ô volumen in quo omnis sapientia continetur! quemadmodum D. Paulus docet. *In eo sunt omnes thesauri sapiētię & scientiæ abscondite* Perlegit hūc librum S. Ioannes Euangelista, qui simulac in cęna sub Domini pectore recubuit, diuinus & admirabilis Theologus effectus fuit. At dicet mihi hoc loco aliquis: Ego vero nullibi scriptū inuenio quod Seruator noster Christus manib⁹ suis librum aliquem exaratum post se reliquerit. Cui respondeo: nequaquā id nos mirari debere, siquidem illemet liber hic est in quo omnis sapientia scientiaque continetur. Etsi & illud videri aliquid potest

quod

quod apud D Ioannem legimus; Christũ videlicet mulierem adulterij accusatam crimine absoluturum manibus seu protenso digito in terra scripsisse: quò videlicet ostenderet legem suam gratiæ misericordiæque legem esse, non duritiei & asperitatis, quemadmodum Mosayca illa lapidibus insculpta. Quid? annon etiã quantiuis est, quod Christum lapidem appellare possumus, cui in monte Caluariæ stilis ferreis id est clauis ad perpetuã indelebilemque rei memoriam, lectio nostra incisa fuit? quemadmodum Iob interrogabat dicens: *Quis mihi det vt scribantur sermones mei, quis mihi det vt exarẽtur in libro stylo ferreo, aut plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice?* Quid? annon etiam seruator Noster nomina nostra purpureis sanguinis sui characteribus manibus suis inscripsit, ne videlicet vnquam nostri obliuisceretur? sicut Esaias testatur dicens: *Ecce te descripsi in manibus meis.* Cæterum D. Thomas parte tertia articul. 44. quatuor assignat rationes, cur Seruator Noster manuscriptum nobis aliquem relinquere noluisse videatur. Primo quidem propter dignitatẽ ipsius. Excellentiori enim doctori excellentior modus doctrinæ debetur, & ideo Chri-

ſto tanquam excellentiſſimo doctori hic modus cōpetebat vt doctrinam ſuam non pergameno aut chartæ, ſed auditorū cordibus inſcriberet; quemadmodū per Ieremiam promiſerat dicens: *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam.* Tota autem illa ſcriptura in præcepto conſiſtit, quo Deū ex toto corde, anima & viribus diligere iubemur, S. Paulus ad Rom. 13. dicente: *Plenitudo legis eſt dilectio.* Secundò propter excellentiam doctrinæ Chriſti, quæ literis comprehendi non poteſt: Secundum illud Ioannis vltimo. *Sunt & alia multa quæ fecit Ieſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos qui ſcribendi ſunt libros.* Quos ſicut Auguſtinus dicit, non ſpatio locorum credendum eſt mundum capere non poſſe: ſed capacitate legentium nō comprehendi. Si autem CHRISTVS ſcripto doctrinam ſuam mandaſſet, nihil altius homines de eius doctrina æſtimarent, quam quod ſcriptura contineret. Tertio quia per iuratos ſuos quatuor Notarios ſeu Euangeliſtas Euangelium id eſt librum vitæ & gratiæ nobis voluit exarari. Vt enim Reges non ipſi literas ſcribunt, ſed ſatis eſſe arbitrantur eas ſi ſuo nomine

mine & ſigillo muniant: ita nomen Regis Regum Ieſu Chriſti in Euangeliorum fronte ſcribitur, quæ poſtea in ipſa publicatione miraculis prodigijsque confirmata ſunt. Præterquam quod ipſe etiam Chriſtus Eccleſiæ caput eſt, cuius membra nos ſumus: & ideo per Diſcipulos ſuos ac Euangeliſtas velut per manus ſuas librum gratiæ voluit conſcribi, qui incipit: *Liber Generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham.* Vt enim vetus ſcriptura ac Teſtamentum à Geneſi, id eſt, ab hominis terreſtris Natiuitate inchoatur: ita liber gratiæ à natiuitate hominis cæleſtis Ieſu Chriſti incipit, qui omne noſtrum ſcire eſt, prout Apoſtolus docet: *Nihil arbitratus ſum me ſcire inter vos niſi Ieſum Chriſtum.*

## *DE LECTIONIBVS QVAE EX libris Sapientiæ petuntur; & quæ prima?*

## CAPVT VI.

POſtquam vt ōpinor ſatis iam nunc conſtat vitæ & gratiæ librum IESVM Chriſtum Seruatorem Noſtrum

esse, alia ex illo lectio ad bene beateque viuendum sperari non debet quam nomen Christi in quo omnia planè continentur & comprehenduntur. Per hunc enim Deus nos alloquitur, per hunc mũdana omnia contemnenda esse docet, & in vnico illo spem fiduciamque nostram collocandam. Hic non Græce, non Latine, non Hebraicè exaratus est, ne quis linguæ ignorantiam allegare posset; huius verba sunt, vita, exemplum, & conuersatio Domini Nostri IESV Christi; ipsa autem operatio loquela illius est. Vt enim antea diximus cælos Dei gloriã enarrare, & muta surdaque voce maiestatem illius hominibus annuntiare: ita solum IESV Christi nomen satis superque nos docet, quid facere vel quid non facere debeamus: cõsiderando videlicet Crucem illius, examinando mortem, expendendo vitam vniuersam molestijs ac ęrumnis plenam, & denique omnia illa cum animo pensitando quæ vsque ad suam in cælestem Paradisum ascensionẽ fecit aut tolerauit. Huius vita sufficienter nobis concionatur, & quomodo præsentis sæculi voluptates fugiendæ, nostrumque adeò cor à terrenis segregandum sit præclarè demonstrat. Huius sacrosanctũ nomen

nomen bonitatem Dei declarat, qui in tantum nos adamauit vt nostræ salutis causa crudelissimam pro nobis mortem tolerare non dubitarit. Hoc etiam diuinam Iustitiam ęqualitatemq; annuntiat, quæ propter peccatum protoplasti Adæ filio suo vnigenito non pepercit, sed pro nobis in ara Crucis immolauit. O excellens nomen IESVS! O nomen in quo omnis sapientia scientiaque comprehenditur! Quisquis reuera tuam virtutem recte cognitam exploratamque habuerit, hic satis scit & nouit. Age ergo studiosa curiosaque discipula, imprime nomen istud cordi tuo, cõsidera virtutem illius, vide quid te doceat, retine quod suggerit, & intra breuissimum temporis spatium doctissima euasura es; imo omnes mundi Philosophos longissimo post te spatio relinques ac superabis: *Hoc enim doctus Plato nesciuit, & eloquens Demosthenes ignorauit.* Hoc nomen charitatem te docebit, hoc spem, hoc fidem, hoc patiẽtiam, hoc bonitatem, hoc mansuetudinem, hoc benignitatem, hoc denique omnia quæ scitu vtilia vel necessaria esse possunt. Verum quo in doctrina isthac methodum ordinemque aliquem obseruemus, Quintiliano morem hoc loco gerere

rere operæ pretium fuerit: qui monet vt pueris quos erudiendos susceperimus lēte & per partes sciētiam doctrinamq; instillemus. Vt enim liquorem aliquē nunquã in angustū vas infundes, vno si impetu eum egeras: ita omnia simul si in tenerorū animos eieceris, omnia etiā perire necesse est; vtrobiq; autē tunc optime egeris, si guttatim vasi liquorem & sensim ingenio doctrinam instillaris. Prima autem lectio quæ ex libris Collegij istius petitur, est Timor Dei, dicente Psalmographo: *Initium sapientiæ timor Domini.* & illius Filio Salomone capit Prouerb. I. *Timor Domini principium Sapientiæ.* Ad quæ Horatius alludit canens: *Virtus est vitium fugere, & sapientia prima.* Neque vero in hoc carmine Poeta à reliquorum sententia opinioneque discedit: per timorem enim peccatum fugimus & bonum consectamur, quæ summa pulcherrimaque sapientia est. Et Ecclesiasticus ipse id aperte docet cum ait: *Timor Domini expellit Peccatum*; sicque hominem ad sapientiam recipiendam disponit, quæ in sordido & lutulento habitaculo morari non potest. Vbi etiam intelligimus, hunc primum Timoris fructum esse, quod peccatum amouet atque expellit.

pellit. Quemadmodum enim Rex cum alicubi diuertere cogitat, ante Cursores suos ablegat atque præmittit, qui habitaculum & mansionem illi præparent: ita Deus in humanis cordibus habitaturus, ante Timorem illis suum immittit, ea vt diligenter repurget, sordes submoueat, & quidquid diuinæ Maiestati displiciturum retur eijciat. Nam *qui timent Dominum*, Eccles. 2. *præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas.* Secundus Timoris fructus est, quod malum auersari abhorrereque nos docet; quemadmodum Prou. 7. legimus. *Timor Domini odit malum:* & diligentissime vniceque hoc agit, ne aliquando per secretas quasdam rimas in cor irrepat ac illabatur. Itaque sicut aues abacturi plumas appendere aut Priapum aliquem adornare consueuimus, quo viso illæ fugiant & terreantur: ita Timor Domini Infernum, & Iudicium, res si quæ aliæ formidolosas cordis sui portis apponit, ijs vt conspectis vitia fugiant, & ab ingressu submoueantur. Vnde etiam intelligimus Timorem illum Dei cordis Ianitorem esse, qui ingenti claua Iustitiæve gladio armatus omnia peccata arcet & facinora qualiacunque repellit.

repellit. Itaque si etiam delicta aliqua offendat, ea mox ille vt fures ac itinerum subsessores inuadit, crucifigit, & timoris clauis patibulo affigit: quemadmodum Propheta Dauid à Deo petebat dicens: *Confige timore tuo carnes meas à iudicijs enim tuis timui*; à iudicijs inquam tuis, quæ superbos Angelos in infernum deiecerunt, Sodomitas ignè cælitus delapso absumpserunt, & impios orbis habitatores vniuersali diluuio extinxerunt. O diuinam iustitiam! ô æquitatem! Porro quo timorem istum sanctum in cordibus pectoribusque nostris concipiamus, tres peremptorias rationes oportet obseruare, propter quas Deus communiter timeri solet ac reformidari. Primò propter potentiam quæ inuincibilis est. Secundo propter Sapientiam quæ infallibilis; ac Tertio propter iustitiam quæ inflexibilis est. Primũ itaque si inuincibilem eius potentiam consideres, Deus omnipotens est; quo quid maius non dico fingi potest, sed cogitari? Etenim si Magnates quorum potentia non mediocris est nemo non metuit, quis Deum non timeat cuius potentia infinita est, & de quo B. Iob ait: *Si fortitudo quæritur robustissimus est*? Iã si illud etiam omnibus creaturis à natura insitũ

est,

est, magistros vt suos & quibus subditi sunt reuereantur: quemadmodum bestię Leonem regem suum, cuius rugitu exanimantur, reformidant; quãto ergo amplius Deum timeri par est, quanto istius formidari & leonino suo rugitu id est sono extremi iudicij percellere nos debet ac exanimare? Cum præsertim illius potentia non tantum ad diuitias extendatur, eas vt confiscare, aut tantum ad corpora ea vt captiuare valeat, sed etiam ad animas eas vt affligere illi liceat porrigatur. Vnde præclare consequitur diuinã potentiam omnibus temporalibus Principibus formidolosiorem esse oportere; quẽadmodũ ipse seruator noster Matth. 10. docet cum ait: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animum autem occidere non possunt, sed potius timete eum qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Itaque cum ipsorum etiam Regum scita & decreta pænæ transgressoribus præfixæ timore munita sunt & propter eum obseruantur: tum certè haud aliquanto diligẽtiores in DEI mandatis obseruandis esse nec oportet quippe quæ non bona tantũ sed corpora etiam animasque transgressoribus solent auferre. Vnde Psalmista ait: *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis,*

Secundum

Secundum cur Deus timendus videatur, infallibilis illius ſapientia eſt; ita namque & Rex Salomon à famulis miniſtriſque ſuis timebatur quia videlicet incredibilis in eo ſapientia & indubijs perplexiſque rebus expediendis dexteritas elucebat; quam euidentiſſime in iudicio ſiue altercatione duarum meretricum demõſtrauit. Ita etiam Heri à ſeruis & Matres familias ab ancillis ſuis timentur, dum videlicet præclare intelligunt, nihil ſe facere poſſe eorum quod ſapientiam fugere latereque poſſit. Et quomodo futurum eſt vt æternus ille immenſuſq; Deus cuius oculi radijs ſolaribus clariores ſunt, propter infallibilem ſuam ſapientiam nõ timendus eſſe videatur? Eſt videlicet ille ſcrutator renum noſtrorum, eſt explorator cordiũ, eſt deniq; omnium etſi minutiſſimarum cogitationũ explorator; Nihil hunc fugit, nihil latet; omnia illi patẽt, omnia clara manifeſtaque ſunt. Tertium propter quod Deus ab hominibus timeri debet, eſt inflexibibis illius iuſtitia. Etenim ſi reus aut maleficus aliquis hoc amplius iudicem ſuum timet ac reformidat, quo iuſtiorem eum eſſe cognoſcit, & nec auro, nec cognatione,

nec

nec timore expugnari illum posse intelligit: Quomodo DEVS timeri non potest, de quo Prouerbiorum illud non incongruè aut inepte adduxeris: *Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec suscipiet pro Redemptione plurima?* Est videlicet ille sponsus animarum nostrarum: itaque cum eas in die Iustitiæ in adulterio deprehenderit, tum vero nec prece, nec pretio corrumpi se sinet aut expugnari. Maneat ergo gnauam diligentemque Discipulam, à timore isthoc salutari lectionem suam inchoare debere, & auspicari, secundum scripturam enim omnium reliquarum doctrinarum initium est. Et addit rationem Diuus Bernardus cum ait: Tunc homo quid DEVS sit recte intelligit, cum eum timere discit. Et quisquis iustitiam potentiamque illius timet, hic iustum potentemque illum esse persentiscit; imo Deum isthoc modo per spiritus speculationem cognoscere, id vero hominem sapientem non minus quam scientia scientificum facit.

Per spiritus namque instructionem docti, & per affectionem bonam sapien-

pientes ſimus. Aliud enim eſt vbi multæ opes ſint exploratum habere, aliud eas poſſidere. Scientia & cognitio diuitiarũ opulentum neminem facit, ſed vſus, ſed fructus, ſed poſſeſſio. Ita non multum ſcire hominem ſapientem facit ſed Deũ timere. Vnde Eccleſiaſt. 1. dicitur. *Radix ſapientiæ timere Deum*, vt enim ex radice folia, rami, & fructus progenerantur, ita ex timore Dei omnifariam virtutes progignuntur atque proſeminantur: quicũque enim Deum timuerit, hic non niſi bene aget, iuſtus, prudens, fortis, temperans, in propoſitis firmus & cõſtans erit; quia videlicet timor charitatem etiam in animam introducit. Ex quibus iam nunc intelligis Timorem illum merito omnis ſapientiæ quoddam Zeugma & complementum appellari. O beatos igitur ac felices quibus hoc timendi donum iuſtiſſimus Deus fuerit elargitus! Prælegit hanc lectionem Spiritus S. diſcipulis ſuis quãdo per Pſalmiſtæ os ait: *Venite filij, audite me, timorem* Domini *docebo vos*. Vbi notandum eſt quod dicit, *Timorem Domini*, videlicet ad differentiam naturalis illius timoris qui vt paſſio eſt, ita laudem non meretur, ſed ſubito hominem malum aliquod animo præuenientem inuadit; cũ

contra

contra timorem Dei non nisi voluntario spontaneoque studio addiscamus. Agite ergo IESV Seruatoris Nostri Discipulæ, excitate ingenia, applicate intellectus, vt sanctum hunc timorem in vobis concipiatis, qui vt non confestim spiritũ salutis in vobis gignat fieri non potest. *Magnus qui inuenit sapientiam & scientiam. sed non super timentẽ Dominum. Timor Dei super omnia se superposuit beatus homo cui donatum est habere timorem Dei qui tenet illum cui aßimilabitur? timor Dei initium dilectionis eius. Fidei autem initium agglutinandũ est ei.* Ecclef. 25. & postea 34. capite fusius adhuc & copiosius sancti illius timoris vis atque perfectio ita describitur. *Qui timet Dominum nihil trepidabit & non pauebit, quoniam ipse est spes eius: timentis Dominum, beata est anima eius, ad quem respicit & quis est fortitudo eius? oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegmen ardoris & vmbraculum meridiani, deprecatio offensionis, & adiutorium casus, exaltans animam & illuminans oculos, dans sanitatem & vitam, & benedictionem.* O insignes & illustres titulos diuini illius timoris! ô admirabiles vtilitates quos sancta illa lectio omnibus Christianis animabus affert! Per hũc

(ſicut ex duabus ſupradictis authoritatibus patet) fidē, ſpem, & amorem in Deo conſequimur. Hic pulcerrimus ille flos fuit, ex quo Sancta Suſanna ſertum confectum habebat, de qua Dan. 13. legimus; quod videlicet ſpecioſiſſimæ formæ fuerit, quod Deum timuerit, quodque id ab ineunte adoleſcentia à parentibus ſuis didicerit. Doceant mihi hanc lectionem omnes parentes liberos ſuos, non vanitates, non voluptates, non illecebras, & melius aliquanto vobis conſuletis.

Secunda primæ iſti agnata atque affinis lectio eſt Humilitas: Timor namque & Humilitas non conſanguineę tantum ſunt ſed etiā ſorores. Hinc quiſquis Deū timet, ante eum ſe proſternit atque humiliat, & inſtar agnelli mitis manſuetusque efficitur. Et docuit nos hanc lectionem ipſe Dominus noſter, quādo ad Apoſtolos ſuos Matth. 11. ait: *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* Diſcite à me quia porta Paradiſi ſum, quā nemo ingreditur niſi qui ſe humiliat atq; inclinat. Diſcite à me, quia gratiæ fōs ſum, ex quo vt vitæ aquas hauriatis, vaſa cordium veſtrorum dimittere debetis. Diſcite à me Magiſtro veſtro Diſcipulæ meæ, quem

quo

quo ex veritatis ſuggeſtu docentem audiatis in terram humilitatis ſedere vos oportet. Diſcite quia ſapientiam gratiamq; eo modo conſequimini. Vt enim is qui domus aut Theſauri alicuius clauē habet, cum vult eum accedere & luſtrare poteſt; ita qui humilitatem habet nullo plane labore ad ſacrarum ſcripturarum intelligentiam cognitionemque poteſt peruenire: quæ enim grandes latuerunt, ea paruulis & humilibus patefacta explicataque fuerunt; quemadmodum Dominus Noſter in Euangelio ſuo ipſe confitetur. Porro ſi illud etiam verum eſt ijs nos libentius noſtra credere & manifeſtare, ea qui tegere & non temere propalare didicerunt: incōueniens reuera foret ſuperbis & arrogantibus ſapientiæ ac ſcientiarū theſauros concredere, qui nihil eorum occultare poſſunt quibus inanis populi rumor & applauſus capi poſſe videtur. Cum contra humilis ſcientiā prudentiāq; ſuā non magnopere iactitet, eas ſupprimat, nec niſi proximi ſalute aut Dei honore exigente oſtentet. Secundo plures humilibus quam ſuperbis gratiæ conferuntur, quia videlicet eas conſeruare didicerunt; quæ quidem ipſa illa cauſa eſt alteri quod nos

& nostra sæpenumeró credamus. Verum enim vero quemadmodum nemo est qui non existimet thesaurum aliquem consultius occultari, ne videlicet auferatur: sicut Ezechiæ Regi euenisse legimus, qui cum thesaurum suum Babylonio Legato ostendisset, eo postea carere debuit, quam ostendi quamque in propatulo collocari. Ita humilitati proprium agnatumque est dona à Deo accepta tegere & non superbè arroganterque eliminare.

Tertia autem Collegij lectio in Charitate amoreq; Dei & proximi consistit, qui cæteras vniuersas complectitur. Et dedit hanc nobis Seruator etiam noster, quando Ioan. 13. ait: *Mandatum nouum do vobis vt diligatis inuicem: in hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei eritis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Et S. Paulus Romanorum 13. de hac lectione sic ait: *Plenitudo legis est dilectio.* Imo si quę adhuc alia mādata reperire est, ea omnia verbis istis comprehenduntur. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Hæc denique vltima illa lectio & postremum præceptum est, quod Christus Seruator Noster in pulcherrimo sermone suo super cænam ad Apostolos suos habito omnibus nobis commendauit;

uit; & ideo omnibus diligentius & accuratius à nobis obseruandum est. O breuem, ô facilem, ô insigniter vtilē lectionem! quæ adeo clara perspicuaq; est, nemo vt non eam intelligere: adeo breuis & compendiaria, nullus vt non quam sæpissime eius recordari: adeo vtilis, eam vt propter à Deo amari mereamur: adeo denique facilis, vt non maria emetiri, non longas molestasque peregrinationes suscipere, non denique multa profundere necesse sit, amoris vt isthoc præceptum impleas ac obserues. Insinuauit hoc Moyses Deut. 30. dicens: *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi non supra te est nec procul positū, sed iuxta te est sermo valde in ore tuo vt facias illud.* Et Christus ipse Matth. 11. ait: *Iugum meum suaue est, & onus meum leue;* quæ reuera omnia istiusmodi sunt quemlibet vt Collegij huius studiosum ad Dei amorem & proximi dilectionem debeāt inflammare. Et quid omnino vetat quo minus fratres simus, habentes vnum patrem Deum, & vnam matrem Ecclesiam, & non nisi cælestem immarcessibilemq; hæreditatem expectantes. Etenim si germanos & carnales nostros fratres diligimus, qui hæreditatem nobiscum diuidētes eam minuunt atque accidunt: absque

illis namq; foret maiorem portionem & partem consequeremur: quanto iustius Christianos fratres nostros amabimus, qui hæreditatem communem nobiscum cernentes, tantum abest, vt eam imminuant, augent potius & amplificant. Quanto enim beatorum numerus maior fuerit, tāto exaltatio lætitiaq; nostra copiosior futura erit: imo plus de proximi quam de nostra felicitate gaudebimus & gestiemus. O lectionē quā addiscamus multo quā dignissimam, siquidē in ea reliquæ vniuersæ comprehenduntur! O lectionē facillimā, nisi plane fungi, asini, & verueces sumus! O breuē & compendiariam, siquidē in pauculis solū his verbis consistit: *Diliges Deum & proximum sicut te ipsum.* Hanc si nos memoriæ mandauerimus & memoriæ mandatam exercuerimus, tum vero omnibus post homines natos Philosophis sapientiores peritioresq; euademus. *In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & Prophetæ.*

## *DE VIRGA QVA COLLEGII Præceptor desides & ignauos castigat.*

## CAPVT VII.

SAlomon in Prouerbijs suis ait: Stultitiam

tiam puero alligatam esse & non nisi virga ab eo illã expelli. Et docet hoc ipsum quotidiana experientia, qua videmus iuuentutē nihil potius quã lusum quã risum cõsectari, nec facile inter discendũ vim sibi aliquã facere solere, absq; virgæ metu foret & disciplinæ. Corpus autē nostrum puero nõ absimile est, quod voluptatibus suis indulgere appetit, bisq; feriari & pergræcari quã semel ieiunare gestit: Ei anima vt pædagog⁹ assignata est, eius vt imperio improbæ illius libidines coerceantur, & lasciua desideria voluptatesq; cõstringantur. Cæterũ si ea negotio suo indormiat, si prouinciam suã male administret, & pædagogi officio minus accurate & diligenter fungatur: tũ vero Deus virgas & flagella expedit, animam dolore & tristitia, corpus autem infirmitate aut alia quapiam aduersitate punit. Vtebatur hac virga Christus, quando mercatores è templo eijciens dicebat: *Domus mea domus orationis est*; imo verum Sapientiæ Collegium. Vos autem improbi & discoli discipuli nugas tantum in eo tractatis, & ex schola mea forum & locum publicum venditionibus emptionibusque destinatum facitis. Et loquitur de hac virga Pro-

Propheta Dauid cum ait: *Si dereliquerit filij eius Regem, & in iudicijs meis non ambulauerint, visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum* Tu autem Christiana anima & Vniuersitatis istius studiosa, nunquid etiam aliquando virgas, quod aiunt accepisti? nunquid aliquando à virga Dei cæsa castigataque fuisti? omnino credo: aliter enim ex illius amicis non esses, qui quo familiariores chariores sq; illi sunt, hoc sæpius & acrius quandoque castigantur. At caue altius & incondite nimis clames ac vociferens; neque enim Magister tuus id curat, sed tam diu te cædit, donec quieta sis, & appromittas diligentius te deinceps lectionem addiscituram, & fructuosius in sapientiæ Collegio versaturam esse. Vbi obserua disciplinam hanc seu flagellationem qua Deus nos cædit, præclaram sapientiam subsequi & insignes prudentiæ fructus comitari; quemadmodum Salomon Sapient. 8. docet cum ait: *Doctrix est enim disciplina Dei* Vnde consequitur patienter eam excipiendam esse, tametsi dura & aliquanto asperior inclementiorque nobis videatur. Primò quia hæc disciplina manifestum signum indiciumq; est à Deo nos diligi & amari, imo veros

illius

illius filios liberosq; esse. Vt enim nemo est qui non confestim statuat eum prāui signum esse qui minus punitur, eum que contra legitimum & naturalem filium qui à patre amplius cęditur & castigatur: ita Deus quos cælesti hæreditati destinauit, alicubi si peccent & immorigeros sese ostendant betula ac virga sua punit, sicque ad meliorem frugem reducit: improbos contra & sceleratos impune abire permittens, tametsi haud aliquanto durius asperiusq; cædi mereantur. Quod pessimum signum & indicium est, eos videlicet veros æterne Patris filios non esse, pro quibus ille cælestem hæreditatem seruauit. Et ideo Apocal. 3. ait: *Ego quos amo arguo & castigo.* Et Salomon 3. Prou. filium suum erudiens inquit: *Disciplinam Domini fili mi ne abijcias & ne deficias cum ab eo corripieris. Quem enim diligit Dominus corripit, & quasi pater in filio complacet sibi.* Cui Paulinum illud Hebræor. 11. cōsonat: *Quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes: ergo adulteri & non filij estis*; & consequenter supernam hæreditatem non adipiscemini. Et Prou. 3. dicitur. *Qui parcit virgæ odit filium, qui autem diligit instanter erudit.* Et rursus 24. cap. *Noli subtrahere à puero disciplinam, si enim*

*percusseris eum virga non morietur. Tu virga percuties eum & animam eius de inferno liberabis.* Patiamur ergo non omnino moleste feramus si à Magistro nostro aliquando feriamur. Parens enim noster est & tenerrime nos amat. Omnes illius filij talia ante nos passi sunt. D. Virgo Maria disciplinam afflictionis & dolorum accepit. Ipse Iesus Seruator Noster virgis cæsus fuit, & ad columnam flagellatus. Et S. Paulus ait, ter virgis castigatum se fuisse, & verbera numerauisse: *A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi.* Neque vero cæteris Apostolis aliter euenit, de quibus in actis legimus quod à Sacerdotibus legis verberati hilares à iudicibus discessetint, gaudentes pro Christo Iesu contumeliam passos se fuisse. O Christiani quid agimus? cur humeros non demittimus à patre & Magistro nostro disciplinam accepturi, qui pro nobis virgis cædi & crudelissime flagellari sustinuit? Nam quāti est pro amico colaphum vnū accipere, qui antea immanes labores, pęnas, tormenta, & dolores pro nobis sustinere non dubitauit? qui pro nobis cōsputus, derisus, ludibrio habitus & postremo in Crucem actus fuit; quemadmodum Esaias inquit:

*Ipse*

*Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus.* Verum dicat mihi hoc loco aliquis; Cum Deus virgis suis nos cædit ac punit, licetne tum suppliciter eum obtestari, quatenus manum suam cohibeat & parcat? Omnino vero respondeo: modo id recte fiat, quemadmodum Dauidem Regem magna populi sui mortalitate plexum, cum Angelum virgis gentem suam cædentem conspicaretur, dixisse accepimus: *Sufficit nūc, contine manum tuam.* Ita namque & pueri sub Magistri ferula & betula solent exclamare, *O Domine sufficit; Magister satis est. Diligentius deinceps studebo, & melius me tractabo.* Nobis ergo etiam ad hunc modum dicere, vel potius Prophetæ Ieremiæ orationem recitare licebit: *Scio Domine quod non est hominis via eius, nec viri vt ambulet & dirigat gressus suos. Corripe me, veruntamen in iudicio & non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me.* Hac precatione secundum Fulgentij & Diui Augustini expositionem, à Deo petimus vt nos in rectam viā deducat, & vt filios corrigere dignetur, quos ille

 punit

punit vt emende, beneuolentia videlicet & naturali storgi inuitatus. Vnde si nonnunquam etiam labi eos halluzinarique intelligat ac permittat, id vero idcirco facit vt cautius deinceps ambulent, suis viribus non confidant, & absque diuino auxilio nihil se posse intelligant. Agite proinde Christianæ animulæ, agite studiosæ discipulæ, scholæ non valedicite quia betulas, quia vlmos, quia virgas profert, non relinquite nec odite Magistrum vestrum, quia discolos corrigit, quia inertes punit, quia improbos castigat. Exemplum vobis S. Paulus sit, qui ad Romanos cap. 8 scribit: *Quis ergo nos separabit à Charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? sicut scriptum est Quia propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oues occisionis Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo Neque altitudo neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate DEI, quæ est in Christo IESV Domino nostro.*

Secundò virga hac æquo animo ferenda ex-

da excipiendaque est, quia per eam emẽdamur non autem exterminamur, sicut Psalmista dicebat. *Castigans castigauit me Dominus & morti non tradidit me*; & alibi: *Disciplina tua correxit me in finem, & disciplina tua ipsa me docebit.* Legimus in ædificatione templi Salomonis lapides ante cæsos, sectos, politosque fuisse, ne postea cum quilibet suo loco collocaretur, mallei sonus vllus exaudiretur. Et nos frumentum non ante in seminaria granariaque deponimus, quam flagellis rusticorum probe pulsatum & omni palea fuerit repurgatum. Ita ergo & nos viui lapides priusquam loco stabili & firmo in cælesti Hierusalẽ constituamur, malleis ærumnarum pulsari polirique & ab omnibus carnalium affectionum paleis debemus repurgari. Et ideo, etsi nos non intelligamus ac nunquam etiam vix ac ne vix quidem persuadere nobis id valeamus, omnes persecutiones quas sustinemus commodum nostrum spectant & vtilitatem; quamadmodum D. Paulus Heb. 12. adstipulatur. *Omnis disciplina in præsenti non videtur esse gaudii sed mœroris, postea autem fructum pacatißimum exercitatis per eam reddet iustitiæ* Vnde quibus Deus in hoc mundo conniuet, & quos

clementiæ suæ virga in præsenti isto sæculo non corripit : eos postea flagello ferreo castigat. *Reges eos in virga ferrea* ait Propheta Dauid. Nonnullis autem ideo in hoc sæculo non ignoscit, vt in æternum eos non plectat. Hinc enim Psalmista ait: *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* O rem admirabilem & insolentem! virga in mel conuertitur, flagellum in saccarum mutatur! Quid est hoc dicere? Quod pulsandi, quod cædendi genus hoc est, tantam dulcedinem suauitatemque præ se ferens? Ingratum est virgis cædi, dolet vapulare, dolet disciplinam accipere: at baculus nos fulcit, at erigit, at sustentat ne videlicet in impatientiam prolabamur. Deus mærentes consolatur, tristitiam eximit, & lachrymas detergit. Vt enim mala Punica cortice amaro ingratoque sunt, fructus autem dulces & visu delectabiles habent: ita virgæ ac punitiones diuinæ, hoc ipso quod affligunt, amaræ, & dum consolationem in corde relinquunt suaues iucūdæq; sunt; vnde Psalmista ait: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Et D. Paulus. 2. ad Romanos cap. 1. ait; *Sicut abundant Christi paßiones in nobis:* ita

*ita & per Christum abundat consolatio nostra.* Et Hebræorum nono dicit, in Arca Moysis vna cum virga tabulas legis & manna fuisse, vt videlicet constet manna consolationis diuinæ virgam correctionis subsequi aut comitari. Ita ergo D. Andreas hilari & sereno vultu Crucis suæ baculum quo vapulaturus erat intuitus fuit, & elata altaque voce exclamauit dicens; O bona crux, quæ decorem & pulcritudinem de membris Domini suscepisti; accipe me ab hominibus, & redde me magistro meo: vt per te me recipiat, qui per te me redemit. Ita etiam Regina Hester virgam Assueri ad se protensam osculata fuit. Ita denique nos disciplinam qua corrigimur, amplecti diligereque debemus; benedictum enim omne lignum est per quod iustitia fit. Cæterum sicuti parens postquam filium suum cæciderit & castigarit, non illico virgam igne comburit, sed filio osculandam offert, & ab eiulatu cessare illum iubet: ita Dei virgæ quædam sæpenumero sunt inimici & persecutores nostri, quemadmodum Ezechiel capite septimo, attestatur dicens; *Floruit virga, germinauit superbia,*

*iniquitas surrexit in via impietatis.* Volens itaque clementissimus pater noster non omnino dolore nos opprimi, vult vt virgam eius qua cæsi fuimus osculemur, & inimicos qui persecuti nos fuerunt diligamus; sicut ipse in c. 5 Matt. docet: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderũt vos, & orate pro persequentibus & calũniantibus vos, vt sitis filij patris vestri qui in cælis est.* Cõsidera mihi itaq; iam nũc studiosa Christiana discipula, quomodo de⁹ nos ceu filios suos castiget, quomodo ad nostram correctionem & emendationẽ nos puniat, & quomodo denique virgam patienter tolerare, ei pro amore & beneuolẽtia paterna gratias agere debeamus: quemadmodum adulti iam nonnulli faciunt, qui pro præceptoribus suis Deum precantur, à quibus sæpenumero cæsi castigatique fuerunt.

Tertius virgæ istius fructus vtilitasque hæc est, quod illius beneficio sempiternas pœnas effugimus, & euidentissimo signo deprehendimus, aliquando nos in Paradiso regnaturos esse. Verum enimuero quemadmodum malefici nonnunquam mortem cui merito adiudicari poterant, virgarum supplicio effugiunt: & sicut Pilatus Redemptorem nostrum Iesum

ſum à morte præſeruare volens, cædi flagellarique eum præcepit, quemadmodū Luc. 23 legimus? *Emendatum ergo dimittā illum.* Ita virgarum diuinarum beneficio, inferni patibulum Crucemq; effugimus. Iam præterquam quod ingens iſtud diuinæ bonitatis teſtimonium eſt, quia videlicet leui pænæ genere iuſtitiæ ſatisfieri & peccata noſtra expiari vult, aliud quoque accedit, quod nimirum per Dei flagella agnoſcimus aliquando nos in cæleſti Paradiſo regnaturos eſſe. Vt enim illi quem Regem condimus & ſalutamus virgam regiam ſeu regale ſceptrum in manus porrigimus: ita Deus quos punit atque caſtigat, verum ijs dominatus ſignum virgam videlicet præbet. Hanc enim ipſe ceu Rex Regum tenet, de qua Pſalmiſta ait: *Virga æquitatis virga regni tui.* Hac ille nos ferit non enecat: Hac pulſat, non occidit: Hac verberat, non autem mactat. Audite proinde quotquot eſtis Chriſtianæ Diſcipulæ quid Propheta Regius vobis ſuggerat, & ad quid vos vocet: *Apprehendite diſciplinam nequando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta.* Sufferte laborem modicum, tolerate pænas, & in hoc mundo humiles abiectęq; eſtote, donec inſequēti

vita

vita tripudietis, gestiatis, & flagrorum verborumq; omnium expertes viuatis.

## *DE DIDACTRO QVOD IN Collegio Sapientiæ soluitur.*

## CAPVT VIII.

SI eadem Collegij Sapientiæ ratio constitutioque foret, quæ vel Parisiensis vel Tholosanæ Academiæ est, in quibus qui quãdam velut bonarum artium mercaturam exercere desiderant, probe nummatos opulentosq; esse oportet: tum vero non immerito studiosi Christiani didactri magnitudinem accusare, & quod propter id à Collegio Sapientię abstinuerint sesequе absentauerint, testari vociferarique possent. Id Deus multo cum ante præuidisset, maximas Collegio illi facultates addendas & insigniter sibi illud dotandum esse existimauit: quo videlicet illus studiosi & Auditores loco didactri & argenti gratias Doctori Iesu Christo tantum referrent, huic soli gloriam darent, honorẽ obseruantiamq; debitam adhiberent, & totos vni se illi dedicarent. Vnde præclare Sapiens Ecclesiast, 2, ait: *Appropiate ad me indocti & cõgre gate*

*gate vos in donum disciplinæ: quid adhuc retardatis & dicitis in his? animæ vestræ sitiunt vehementer, aperui os meum & locutus sum. Comparate vobis sine argento sapientiam & collum vestrum subijcite collo eius. Et suscipiat anima vestra disciplinam. In proximo est enim inuenire eam.* Socrati cum multa multi pro suis quisque facultatibus offerrent, Aeschines pauper auditor, Nihil, inquit, dignum te, quod dare tibi possum inuenio, & hoc modo pauperem me esse sentio. Itaque dono tibi quod vnum habeo, meipsum. Hoc munus rogo qualecunque est boni consulas, cogitesque alios cum multum tibi darent, plus sibi reliquisse. Cui Socrates. Quidni tu, inquit, magnum munus mihi dederis, nisi forte paruo te æstimas? Habebo itaque curæ, vt te meliorem tibi reddam quam accepi. Vicit Aeschines hoc munere Alcibiadis parem diuitijs animum, & omnium iuuenum opulentorum munificētiam. Quid? annon idem nobis quod Aeschini liceat? & tanto amplius quanto minus IESVS Christus Magister noster temporalibus nostris bonis indiget, & beneuolū tantū memoremq; animū reposcit: aliud pro dida-

didactro non efflagitans quam gratiarum actiones. Et inuitauit iam ante ad hoc nos S. Paulus in Epistola ad Colossenses cap 3 vbi ait: *Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite, gratias agentes Deo & Patri* Et in 1. ad Thessalonicenses cap. 5. *In omnibus gratias agite; hæc est enim voluntas Dei in Christo Iesu in omnibus vobis* In omnibus inquit, vt intelligas, tam pro generalibus quam pro particularibus gratias te illi reddere persoluereque debere. Generalia autē beneficia & ea quæ vniuerso hominum generi collata sunt, D. Bernardus declarat dicens: Fratres mei, gratias agamus factori nostro, benefactori nostro, Redemptori nostro, & Remuneratori nostro: qui nos ad sui imaginem & similitudinem condidit, & perditos Diaboloque venditos pretioso sanguinis sui litro redemit; qui homo factus fuit vt nos, carnem vt nos, & esse nostrum assumpsit: Quique coronam gloriæ nobis reseruat, aliquādo vt se nobis totum donet ac elargiatur. O merita! ô beneficia! quis vobis par sit, aut quis demum condignas vobis gratiarum actiones persoluere sustineat? Cum ecce nihil ominibus inexhausta illa diuini numinis boni-

bonitas, particularia illis quotidie adhuc addit, & in specie quamlibet non multo minus demeretur. Porro specialia illa seu si mauis particularia beneficia ad tria fere capita reuocari possunt. Primum est quod nos peccati cæno immersos ad pænitentiam vitæque nostræ emendationẽ multo quam patientissime exspectat & præstolatur. Secundum est, quod ex scelerum ac flagitiorum sordibus emergentes diuinæ gratiæ infusione iustificat. Tertium quod iam iustificatos in bono confirmat atque conseruat. Quorum vnumquodque trifariam expendendum considerandumq; est. Cogitabimus itaq; primò quoties peccatis nostris grauissimis frequentissimisque pænitentiæ tempore indignos nos reddiderimus: quod toties factũ fuit quoties peccato aliquo mortali nos obstrinximus; omnis enim peccator eo ipso vitæ vsura indignus est, quod erga vitæ authorem immemorem ac ingratum sese demõstrat. Redigemus deinde nobis in memoriam, quoties in periculo mortis vitæque perdundæ constituti pænitentiæ opportunitatẽ amittere potuerimus, nisi peculiari beneficio Deus nos protexisset. Vnde etiam intelligis quantum Protectori & Vindici tuo

debeas, qui collum tibi è reste exemit, & ceruices incumbenti securi subduxit: si enim peccatis ita obrutus exspirasses, nunquid recta ad damnationem contendisses? Tertio & postremo temporis nobis præstantia consideranda est, quod à Deo nobis ad salutares pænitentiæ fructus exercendum indulgetur, & in quo Paradisum lucrari possumus, quod in Inferno constitutis non licet. At prô dolor, ea nunc nostra sunt tempora, nihil vt minus quam tempus faciamus, pessime id collocemus, & ludicris futilibusque rebus transigamus. Iam quod ad secundum particulare beneficium iustificationem videlicet attinet, consideremus, quibus non peccatorum vinculis Deus nos exoluerit, quæ non delicta nobis condonarit, & quoties nos non à corporea sed æterna morte transgressionibus nostris debita liberarit. Cogitemus adhæc etiam, quomodo nos DEVS è peccatorum puluere ac sordibus eductos, in illustri iustificationis dignitate collocarit, quomodo è statu perditionis nos extraxerit, quomodo in saluationis viam erroneos reduxerit, & ex filijs iræ misericordiæ filios effecerit,

rit, quod nequaquam vnicuique hactenus præstitit. Porro intellecto beneficio quod est boni confirmatio, difficultatem in bono persistendi considerabimus, & quomodo id citra peculiare Dei beneficium continuare non valeamus, perpēdemus. Testatur hoc Lucifer, qui in gratia ac veritate persistere nō sustinens è cælo præcipitatus fuit. Confirmat hoc protoplastus Adam, qui etsi in terrestri Paradiso constitutus foret, diu tamen in statu innocentiæ perstare non potuit. Clamat hoc denique Apostolus Iudas, qui in schola Seruatoris Nostri IESV Christi per concupiscentiam in apostasiam prolapsus fuit. Quid multis? Probat hoc naturæ nostræ fragilitas, inimici vafrities, & innumerabilium tentationum ac peccandi occasionum illecebræ. Vnde concludimus perseuerantiam in bono peculiare DEI donum esse: quod sicut nemo non assiduè efflagitare, ita qui id acceperit, studiosissime pro eo gratias referre debet.

NVNC quoniam ea hactenus vt opinor satis declarata sunt ex quibus gratiarum nostras actiones,

com-

componere extruereque debemus, videamus iam etiam quibus conditionibus affectæ illæ esse debeant vt bonæ Deoque acceptæ sint. Ego itaq; sic eas institui debere intelligo, vt immortales, vt continuæ, vt vniuersales, & à bono sinceroq; animo profectæ sint. *Et primo*, quidē gratiarū illas actiones magnas seu immortales esse volumus, vt beneficiorum quę à Deo accepimus magnitudini aliqua saltem ex parte respondeant. Intellexerunt hoc Machabæi illi cum dicerent: *De magnis periculis à Deo liberati, magnifice gratias agimus ipsi.* Verum enim vero si nefas & indignum arbitramur ei à quo vini amphoram dono accepimus, gratias nō reddere ac persolutum ire, quantas putas ei agere & referre par erit, qui omnia ex mera sua liberalitate & munificentia in nos confert? *Secundo* continuas gratiarum actiones esse volumus, quemadmodum supra ex D. Paulo demonstrauimus: ob hanc enim causam omnes omnino horæ Canonicæ cum *Deo gratias* absoluuntur, quò videlicet intelligamus vniuersas nostras operationes gratiarum actione finiri debere ac terminare. *Tertio* vniuersales etiam esse oportere dicimus, quia in omnibus & pro omnibus Deo

pero

persolui debent, æque in prosperis ac aduersis, vt in bonis ita & malis, & non minus pro exiguis quam magnis præstantibusq; muneribus. Et alludit huc S. Paulus cum ait: *Gratias Deo semper agentes pro omnibus*. Comprehēduntur ergo hic etiā morbi, infirmitates, ærumnæ, & paupertas; Nam pro bonis quæ apud nos deposita sunt gratias agere & benefactori referre, id vero natura ipsa animantibus inseuit; quemadmodum cani qui pro panis frusto blanditur, illoque accepto nescio quam suo modo gratitudinem præ se fert. Imò *cognouit bos possessorem suum & asinus præsepe Domini tui*. A Christianis autem haud aliquāto plus requiritur & postulatur, vt videlicet inter dubia & aduersa inque angustijs miserijsque constituti vocem non edant quin ante dixerint; *Laus Deo. Sit nomen Domini benedictum. Gratias ago Deo pro omnibus*. Et obseruauit hoc admirabilis ille diuinę sapientię thesaurarius Iob quādo in extrema necessitate cōstitutus ait: *Dominus dedit, Dominus abstulit sit nomen Domini benedictum*. Cæterum si gratiarum illas actiones vniuersales esse oportere intelligimus, illud reuera etiam consequitur, & pro Inferno gratias nos Deo dicere persoluereque o-

portere, quemadmodū S. Ioannes Chrysostomus declarat in Paulinæ sententiæ paulo ante à nobis allegatæ expositione. Et quis omnino inficiari ausit pro tormentis suppliciјsq; Infernalibus Diabolo & illius complicibus destinatis Deum nos laudare debere & exaltare? siquidem illorum salutari contemplatione ac meditatione sanctum in nobis horrorem excitamus, & non aliter quam potenti aliquo freno à male agendi instituto impetuque cohibemur. Maneat ergo sempiterno illi omnium bonorum elargitori Deo, non modo pro cognitis & manifestis, verum etiam pro ignotis & occultis beneficijs gratias agendas esse. Vbi grauis illorum error deprehenditur, qui cum in aduersitates à DEO conijciuntur, nullo se penitus beneficio affici arbitrantur. Diuini enim numinis immensa & inexhausta bonitas tanta est, vt etiam nolentibus & nihil tale cogitantibus gratias cælestiaque sua dona impertiat. Itaque cum etiam Turci & scelerati Hæretici DEVM impijs suis linguis proscindunt ac blasphemant, ille nihilominus eos gubernat ac nutrit, possessiones, hæreditates, sanitatemque illis confert.

Iam si DEVS istiusmodi hominibus bona sua elargitur, qui præterquam quam quod id ignorant, insigniter etiam ingrati sunt, quid vos eum nobis non collaturum arbitramini? Et quid omnino aliud Deus agit quam hominum generi benefacere, modo quietem modo laborem, iam infirmitatem iam sanitatem ipsi indulgendo? His ergo ita accurate à nobis expensis & considerätis, quomodo amabo fieri poterit, vt non vniuersales gratiarum actiones DEO persoluere cupiamus? Fecit id præclare Diuus Augustinus cum ait: Laudandus mihi es DEVS meus, quia in prosperitate consolatus es me, & in aduersitate castigauiste me. Antequam essem, quia tu me fecisti. Cum essem, quia tu salutem mihi impertiuisti. Cum peccassem quia tu mihi condonauisti: Quando patiebar, quia me adiuuisti: Quando perseuerabam, quia tu me coronauisti.

Quemadmodum ergo Philomelæ id à natura datum concessumque est, vt noctem diemque pariter cantu traducat: ita spirituales auiculæ quæ per conuersationem cælestem in cœlum euo-

lant, iucundissime Deo canere & tam in die sanitatis quam in nocte infirmitatis psallere debent ac modulari. At quantus imò quam exiguus istiusmodi Philomelarum numerus est! Immemores sumus, ingrati viuimus, & beneficia non agnoscimus. Audi proinde quid Psalmista de nobis dicat: *Confitebitur tibi cum benefeceris ei.* O improbos ô perditos ingratos, qui non nisi in prosperis & secundis rebus Deum laudare illique benedicere didicistis! Hoc est in Collegio sapientię didactron suum exoluere, cum bene habes Dei tui meminisse? Sciebat hoc versipellis ille Sathanas, vnde ad Deum conuersus Iob 1. ait. *Nũquid Iob frustra timet Deũ? Non ne tu vallasti eum ac domũ eius, vniuersamque substantiam eius per circuitum: operibus manuum eius benedixisti, & possessio eius creuit in terra? Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* At præclare eo loco Diabolus falsus deceptusque fuit: Iob enim gratiarum suarum actiones indesinenter continuabat, quod egregie Diabolo displicebat. Inter omnia enim quæ ab hominibus fieri solent exosissimum illi est, Deum in aduersis laudare, quem ipse in inferni sui pęnis constitutus con-

tinuo blaſphemat. Author eſt Ariſtoteles ſub finem libri ſecundi Politicorum, Platonem inter cæteras ſuas leges hanc etiam ciuibus ſuis dixiſſe, aſſidue vt luctando ſe exercerent, quo ambidextri euadentes ad bella certaminaque promptiores deinde eſſent. Et erat iſtiuſmodi ambidexter Aioth ille de quo in libris Iudicum legimus, quod Eglon Moabitarum Regem interemerit, & æque dextera ac ſiniſtra manu expedite vſus ſit. Fuerũt quoque tales ambi dextri filij Iſrael qui in templi ædificatione altera manu laborabant, altera gladium tenebant, vt eos qui ſe à reædificatione impedituri eſſent, arcerent ac ſubmouerent. Porrò ex iſtorũ etiã numero Chriſtianos nos eſſe oportet, vt videlicet æque dextra proſperitatis ac læua aduerſitatis inimicum Diabolum debellemus; & tam hoc quam illo tempore gratiarum Deo actiones perſoluamus. Eæ autem non à lingua tantum, ſed ex intimo pectore procedent, leuatis in altum manibus, id eſt bonis ac ſanctis operibus. Iam ſicut Pſalmiſta ait Cælum ceu Creaturam etſi mutum ac voce deſtitutum, Creatoris tamen ſui Dei gloriam annuntiare, ita qui in ſeruitio Dei ætatem ſuam exigunt, etſi muti forent,

DEVM tamen ſuum laudarent & ſuperexaltarent. Cæterum ad generalitatem illam vniuerſalitatemque gratiarum illud etiam non omnino inepte referri poteſt, quod Diuus Chryſoſtomus in Comment. ſuper ſecunda ad Corinthios capit primo ait; Non tantum pro omnibus quę nobis exhibita ſunt beneficijs grates Deo perſolui oportere, ſed etiam in genere pro vniuerſis quibus Rempub. Chriſtianam affecit, & quorum participes facti ſumus. Adeo vt ſicut pro priuatim mihi collato beneficio in publico & coram omnibus gratias ago, id etiam pro publico priuatim gratiarum actionem Deo inſtituam. Intuere mihi paulisper lucidum illud mundi ſidus, ſolem puta, qui etſi non propter te tantum creatus eſt, ſed pro vniuerſo humano genere, tu tamen non aliter eius lumine vteris quam ſi pro te ſolo conditus eſſet. Ita virtus quam in proximo relucere conſpicamur, mirabiliter nos iuuat atque ædificat; vnde etiam gratias pro illa DEO reddere perſoluereque debemus. Certe ſi illud etiam cogitas quomodo DEVS Pentapoli Sodomorum & Gomorræorum parcere voluerit, decem ſi tan-

tantũ iuſtos in ea reperiſſet: annon quoque iuxta manifeſte intelligis quantũ beneficij ab alterius virtute ac bonitate recipere valeam?? Sciuit hoc B. Paul. Apoſt. qui pro Corinthijs ac Romanis & deniq; pro omnibus ad fidem conuerſis Deum glorificabat. At dices, Alteri⁹ bonũ meũ non eſt, & cur pro eo gratias Deo acturus ſum? Reſpondeo itaq;, etſi id ita ſe haberet, nihilominus tamẽ Deũ te laudare oporteret, quia videlicet proximi tui bonũ parti ſeu mẽbro corporis tui accidit, omnes enim vnum corpus conſtituimus & Ieſum Chriſtum caput noſtrum agnoſcimus. Iam tametſi bonum illud alienũ foret, tu nihilominus tuum id facere potes, ſi pro eo Deo gratias perſoluas. Conſuetudo illa, ait D. Chryſoſtomus, ſemper in Eccleſia plantata fuit, alter vt pro altero communi noſtro Creatori gratias agat. Et diximus iam ante D. Paulum ſedulo id feciſſe, qui pro donis Eccleſiæ Chriſtianorum ad quos ſcribebat DEO gratias perſoluebat. Quartum ad gratiarum actionem rite inſtituendam requiſitum eſt, vt in hilaritate cordis, affectione voluntaria non autem coacta & in triſtitia eam offeramus. Vnde S. Paulus cap. 5. ad Epheſios ait: *Cantan-*

*tes & psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agite semper pro omnibus.* Ingrati autem lagenæ quædam aut hydriæ sunt, in quas vinum infusum sensim & cum lætitia quasi defluit, at non nisi cum murmure quodam strepituque effunditur: ita ingrati beneficia fronte hilari & serena accipiunt, cum surdo autem quodam murmure gratias reddunt. Cum contra Sancti & Grati gratias suos cantent, quemadmodũ Ieremias de ciuitate superna Hierosolymitana ait: *Gaudium & lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio & vox laudis.* Vltima gratiarum conditio est, vt humiles sint, prout Propheta Micheas cap. 6. ait: *Quid dignum offeram Domino? curuabo genu Deo excelso,* agam illi gratias non vt Pharisæus, qui inflatus & turgidus erecto corpore eas recitabat, quemadmodum S. Lucas cap. 18. ait: *Pharisæus autem stans dicebat, Deus gratias ago tibi.* Aliter ergo faciam, inclinabo caput, curuabo reuerenter genua, sicq; Præceptori meo gratias dicã, qui alio didactro in suo Collegio non pascitur quam gratiarum actione.

DE

## DE DIAETA ET SVSTENTAtione studiosorum in Collegio Sapientiæ.

### CAPVT IX.

QVam communiter omnes ij qui artem scientiamque aliquam tractandam excolendamque susceperunt, viribus exhauriantur ob eamq; fere causam famelici sint, & Mecænate aliquo qui alimenta victumque illis sufficiat indigeant, nemini non compertum exploratumque est. Itaque cum etiam supremus ille Collegij Sapientiæ Rector & Administtator Deus præclare id intelligeret, istiusmodi sibi alimenta studiosis suis subministranda esse existimauit, ijs vt cõfirmati & recreati paratiores ad ingenij cultum efficerentur. Ea ergo Verbũ Dei sunt, quod qui audiunt, eos repente omnis cibi potusque obliuio subeat necesse est. *Non enim in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit ex ore Dei.* Vnde discipulus Moyses librum legis ac Sapientiæ in monte Sina Dei manibus exaratum accipiens, potu aut cibo corporeo refectus non fuit, sed quadraginta diebus & noctibus continuo ieiunauit:

 susten-

ſuſtentante illum verbo DEI, quod pellem macerabat & ſpiritum animamque explebat. Hic enim eſt verus ille vitæ panis, quem Diſcipuli à Præceptore noſtro Ieſu Chriſto Ioannis 7. efflagitabāt dicētes: *Domine da nobis ſemper panem hunc.* O felicem Sapientiam quę Diſcipulos ac Auditores panis potuſque loco ex ſatiat! Alludit huc ſcriptura cum ait: *Cibauit eum pane vitæ & intellectus, & aqua ſapientiæ ſalutaris potauit illum.* Et quamuis quæ hactenus diximus iſtiuſmodi plane ſint liquido vt oſtendant & aſtruant, verbum DEI ſapientiæ ſtudioſorum cibum alimentumque eſſe, neſcio tamen quo pacto de ſola diuina gratia conuenientius id nos poſſe dicere videamur, quæ inſtar panis & vini illis eſt. Et faciunt omnino ad hunc locum quæ Sapientiæ quintodecimo de gratia diuina inueniuntur: *Propter hoc omnium nutrici gratiæ tuæ deſeruiebant, vt ſcirent filij tui quos dilexiſti Domine, quoniam non natiuitatis fructus paſcunt homines, ſermo tuus hos qui in te crediderint conſeruat;* ait Sapientia de filijs Iſrael in deſerto conſtitutis. Ex quibus præclare intelligimus gratiam diuinam altricem ac nutricem noſtram debere appellari. Et teſtatur

ſtatur idipſum Diuus Paulus qui in epiſtola ad Hebræos capit. decimo tertio ait: *Optimum eſt gratia ſtabilire cor, non eſcis, quæ non proderunt ambulantibus in eis.* Declarauit hoc etiam ipſe Seruator Noſter in Euangelio ad Samaritanam dicens: *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum*, vbi per aquam gratiam ſuam intelligit, quam cum ex miſericordiæ fonte hauſtam Samaritana illa IESV CHRISTI diſcipula effecta guſtaſſet, omnem repente ſitim perdidit atque reſtinxit. In cuius poſtea rei fidem ac ſignum hydriam cum aqua ad fontem relinquens, confeſtim in ciuitatem ſe recepit, eum vt ciuibus ac inquilinis annunciaret, qui totam ſuam vitam ſibi explicarat. Neque vero huic tantum acquieuit, ſed Diſcipula IESV iam effecta & in cæleſte illius ſapientiæ Collegium introducta, Theologicum dubium Magiſtro ſibi ſuo proponendum eſſe exiſtimauit. Id tale erat; Præſtaretne DEVM in monte Garizin, in quo Prophetæ facere id ſoliti fuerant, an vero in Templo Hieroſolymitano venerari & adorare? Cui CHRISTVS reſpondit dicens; Neq; in monte neq; in

Templo necessario illum adorari oportere, sed in spiritu & veritatẽ. Etenim cũ Deus spiritus sit in spiritu etiam orari adorarique debet, & non tam corpore quã corde, ac potius interius quam exterius honorari; tametsi vtrumq; bonum Deoque acceptum sit. Maneat ergo iam nũc illud quod antea diximus, gratiam videlicet diuinam Studiosorum Collegij Sapientiæ cibum esse, quo eorum animæ saginantur, ingenia curantur, & animi recreantur. O delicatum ferculum! ô dapsiles cibos! Hoc pretiosum cælesteque illud ferculum est quod omnem suauitatem in se continet, ipsumque adeo manna quo Israelitæ vescebantur excedit. Atque si etiã hoc loco ex me quæras, quidnam diuinam gratiam nominem atque appellem, dico donum illam esse animæ à Deo collatum, & qualitatem supernaturalem, per quam homo Deo gratus efficitur, & illius beneuolentiam indipiscitur. Hac mediante Homo diuinæ naturæ particeps fit, & filius Dei per adoptionẽ nũcupatur. Per hãc imago Dei sordibus peccati originalis conspurcata & maculata reparatur & pristino quodammodo nitori restituitur. Hęc deniq; vt semel dicã, symbolũ est quo mali à bonis, impro

bi à iustis,

iustis,& Sancti à sceleratis discernuntur. Tres autem gratię sunt;prima gratia prę-ueniens nominatur, Secunda cooperans appellatur,& Tertia denique consũmans nuncupatur. De quibus omnibus breuiter & neruose S.Paulus epist.1. adCorinthios ca.15. ait: *Non ego sed gratia Dei mecũ gratia eius in me vacua non fuit & gratia eius sẽper in me manet.* Vbi cum dicit; *Non ego sed gratia Dei mecum*, gratiam præuenientem intelligit; Cum autem addit; *Gratia eius in me vacua non fuit*, quis non videt eum de gratia cooperante & concomitante loqui, quę omnibus nostris operibus adest. Itaque cum etiam concludit dicens; *Gratia eius semper in me manet*, quid amabo aliud intelligi potest quam consummans illa gratia quæ perseuerantiam in bono nobis tribuit ac elargitur? Per primam ergo gratiam filius prodigus bonis suis dilapidatis ad se reuersus fuit & dixit; O miserum me! ô desperatum! perdidi mẽsam patris mei, excidi ab illius gratia, porcorum commensalis factus sum: surgam ergo & ad parentem meum reuersus dicam: *Pater peccaui in cælum & coram te.* Per secundum deinde Gratiæ genus bonum propositum in effectum deduxit, patri se suo stitit, & vnam ab illo

efflagitauit. Per tertiũ denique primis vestimentis induitur, paternæ mensæ accũbit, deinceps cum parente viuit; subque primum illius ingressum in gratiæ restitutæ signum vitulus saginatus mactatur. Cæterũ tres istæ gratiæ Græcorum illæ Charites sunt, quæ Amorem seu Charitatem continuo stipant ac comitantur; quia videlicet vt ex sole radij ita ex diuina gratia Charitas & vniuersæ reliquæ virtutes proficiscuntur. Vnde Ecclesiastici cap. 40. dicitur: *Gratia Dei sicut paradisus benedictionis.* Quemadmodum enim in terrestri Paradiso diuersæ frugiferæ feracesque arbores conspiciebantur, inter quas arbor vitæ, quæ hominem nutriebat spectabilis maximè erat: ita etiam diuina gratia DEO nos acceptos facit, omnesque in se virtutes continet, ex quibus postea fructus sanctorum operum actionumque procedunt. In harum autem medio Charitas eminet & antecellit, vita inquam animæ & optimo iure arbor vitæ Spiritualis nuncupata. De gratia præueniente S. Ioannes in 1. sua Canonica cap. 4. ait: *In hoc apparuit Charitas Dei in nobis, non quod nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos.* Et Psalmista dicit: *Deus meus, misericordia*

eius

*eius præueniet me*, Et alibi Deum orans inquit: *Cito nos accipient misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis* Hæc gratia omnia nostra merita præuenit: etenim si ex operibus nasceretur, non iam gratia (ait D. Paulus) sed debitum esset. Per hãc ergo Deus nos à peccatis repurgat atque iustificat, tametsi nihilminus quam excellentem istiusmodi statum mereamur. Vnde præclare D. Bernardus in Canticis Synagogæ arrogantiam reprehendens, exclamat & ait: O stolidam sponsam Synagogam, quæ iustitiam Dei, id est gratiam sponsi tui qui te iustificet contẽnis, illique iustitiam tuam anteponis subijcereque non vis! Et ob hanc postea causam miserabilis illa sponsa repudiata, & in illius locum sponsa Iesu Christi Ecclesia in quã substituta fuit: quæ omnem suam gratiã ac vniuersa virtutum ornamenta dilecto sponso attribuit, eiq; accepta fert à quo sanguineo lauacro lota, à peccatorũ sordib⁹ mũdata, & amictu pretiosissimo fuit condecorata. Vnde apud Oseã c. 2. ait: *Spõsabo te mihi in iudicio & iustitia, & in misericordia & miserationibus*; quibus addere nõ immerito potest: Non elegisti tu me in sponsum, ego autem te in sponsam elegi: & vt te eligerem nõ me

merita tua excitauerunt quæ præueni? *Non inueni*, inquam, *sed præueni*. Quid ergo super est nisi vt rectum iudicium inter vtramque partem instituatur? Non extollant te opera tua, non inflent te iustitiæ legis, non glorieris de onere & caloribus æstuq; diei, in misericordia enim & fide per meam gratiam desponsata mihi es. Porro de misericordia Dei subsequente Psalmista ait: *Et misericordia eius subsequetur me, omnibus diebus vitæ meæ*. Et Sponsa in Canticis cap. 2. de duabus suis gratijs sic inquit: *Dilectus meus mihi & ego illi. Dilectus*, inquit, *meus mihi*, qui me præuenit, *& ego illi* qui me custodiuit, in bono per suam gratiam conseruauit, quique denique per perseuerantiam omnia consummabit. Porro tres etiam istæ gratiæ, tres illi panes Euangelici sunt, quibus sapientiæ Collegium frequentantes reficiuntur, & de quibus seruator noster Lucæ vndecimo ait, quod à vicino mutuo accipi debeant, ijs vt amicum peregre ad nos venientem excipiamus. *Amice commoda mihi*, dicit alter, *tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum*. At quo pignore eos tu te panes accipere posse arbitraris? nullo reuera alio quã gratia obedientiæ

ab humilitatis. De humilitate namque apud Ecclesiast. cap. 3. scriptum est: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* De obedientia autẽ Prou. ca. 1. dicitur. *Audi fili mi disciplinam, & ne dimittas legem matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo.* Imò vt paucis vtriusque virtutis vim & efficaciam comprehendã, dico vbiuis gentium seruum humilem & obedientem æque coram mundo atque Deo gratiam inuenire. Gratia autem ista oleum illud est, quo vidua illa eleemosynaria tempore annonæ charitatis in Sarepta Sidoniorum se & Eliam pariter sustentauit; quemadmodum tertio Regum cap. 17. legimus. Et S. Ioannes diuinã illam gratiam vnctionem appellat, quia videlicet Christiani ea iniunguntur, qui oleũ gratiæ per Iesũ Christũ plus omnibus Angelis hominibusq; illo affluentẽ acceperũt. Illud vero etiã admirabile est quod gratiæ istud alimentũ, doctos prudentesque nos facit: quò videlicet manifestior Diaboli fraus euadat, qui falso idipsum fructu arboris comesto se prę̨stiturum spopondit. Quoniam vero Christiana anima persuasissimum mihi est, fieri non posse, vt hæc legens cumque animo suo ruminans confestim nõ interroges,

sciri-

sciri ne aliquo modo possit vtrum gratiæ istius oleum in te effusum sit; sic habe; Quatuor admodum signa esse ex quibus non obscure colligi possit, homo ne quispiam gratiam S. Spiritus habeat, & illius oleo pe rfusus delibutusq; sit. Primũ est, Si Dei mandata obseruet: Quemadmodum enim ligna seuo inũcta, aut lychnus lampadis oleo intinctus melius ardet, clarius lucet, & longius flagrat: ita diuinæ gratiæ vnctio præcepta legis obseruari, corda nostra ampliari, & animos facit inflammari. Alterum cælestis illius vnctionis indicium est, si lubrici simus sicque tentationes Diaboli per quas nos capere nititur effugiamus. Quemadmodum de veteribus Lanistis pugilibusque accepimus, qui nudi dimicantes corpora oleo inungebant, quo facilius aduersarij manum effugerent & anguillarum instar elaberentur.

Tertium diuinæ gratiæ in nobis habitantis indicium est, si bona à malis acri iudicio discernentes quid sequendum fugiendumque sit facile dispiciamus. Qui enim vnctus est, hic per se satis superque lucidus & apparens est. Vnde D Ioannes in supradicta sua Canonica ait: *Non necesse habetis vt aliquis doceat vos, sed vnctio*

*ctio docet vos de omnibus.* Quartum signum erit, si onera tribulationum & fasces persecutionum imperterriti inuictoque animo feramus, eos patienter toleremus, & nequaquam murmuremus: quemadmodum rotæ probè inunctæ faciunt, quæ immani currus pondere grauatæ absque vllo stridore voluuntur ac iter suũ emetiuntur. Illud tamẽ ante omnia, Christiana animula, scire te velim, quod quemadmodum muscæ & vespę pinguibus inunctisq; locis facillime adhærescentes, eos maculant inquinantque; & sicut vespertiliones ex Templorũ lapidibus oleũ exsugunt, præsertim si ignis earum sopitus sit: ita quoq; vanarũ & superbarũ cogitationum muscas gratia diuina perunctis facillime omnino adhærescant. Itaq; dũ antiquum suum faciunt & turmatim panem ac esculenta studiosorũ obsident, depellendæ subito sunt & amouendæ. Eædem tamen si cor seduli & diligentis cuiuspiam studiosi ardere conspiciant, suapte sponte cedunt & fugam petunt. Illud denique omnibus omnino Collegij Sapiẽtię auditoribus antiquissimum esse velim, vt alimentũ cibumq; istũ suũ quã diligentissime custodiant; neq; enim viator absque viatico, nec studiosus absque

asçu-

esculentis, nec anima absque diuina gratia viuere potest aut superesse. Cum autẽ eam consecuti fuerimus, tum vel maxime studendum nobis fuerit eam vt custodiamus & retineamus. Quemadmodum ergo ante astruximus humilibus & obedientibus à Deo illam concedi, ita iam nunc dicimus tumidis & arrogantibus eam subtrahi atque aufferri. Et S. Bernardus cap. 4 & 50. ait; Gratiam non nisi per Superbiam à nobis exulare, semperq; in nobis habitare nisi per peccati lapsum expellatur. Cuius quidem rei locuples nobis testis est B. Paulus Apostolus, qui inuitus & coactus carnis stimulos aculeosque sentiebat, non quod superbus esset, sed ne aliquando fieret; habens nihilominus tãtum roboris ac viriũ quantum ad illis resistẽdum sat esset. Certum namque & iudubitatum est quamlibet elationem, subsequens illa existensque sit, diuinam grariam nobis subtrahere, quam cũ semel indepti fuerimus, sollicitè nobis procurandum est ne superbiæ typho inflemur, sicque concesse nobis vnctionis ac cælestis gratiæ iacturam faciamus. Et aduertendum adhęc est gratiæ illo nomine aliũm adhuc cibũ haud aliquanto isto præstantiorem significari, panem

panem videlicet ſacramentalem corpus & ſanguinem Ieſu Chriſti in ſe continētem, qui à Græcis Euchariſtia appellatus, apud Latinos bonam gratiam ſonat. Per quem non tantum gratia ſed ipſe ſeruator Noſter Ieſus Chriſtus omnis gratiæ elargitor recipitur. O pręſtans ferculum? ô ſumptuoſum conuiuium! Certe nec ipſi Angeli in cæleſti ſuo Collegio lautius delicatiuſque nobis reficiuntur. Iam ſi illud etiam verum eſt eos demum cibos laudari commendarique ſatis non poſſe qui naturæ humanæ medeantur, quid de noſtro illo ferculo dicendum erit, quod præſentiſſimum contra mortem antidotum & alexipharmacon eſt? quēadmodum ipſe ſeruator Noſter confirmat dicens: *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus, qui manducat hunc panem viuet in æternum.* Hic cibus delicata delicatiſſimi agnelli IeſuChriſti caro eſt, quæ poſtea ad ignem acerbiſſimæ paſſionis aſſata fuit. Hæc venatica illa eſt quā etſi Iudæi inſequerētur, neutiquam eam tamen deguſtare potuerunt, ſed vt immundi impurique canes ab illa repulſi ſunt; ita nobis veris ac legitimis DEI filijs præparata appoſitaque eſt. Hac diligens illa Ieſu Chriſti diſcipula D. Ca-

tharina Senensis refecta longo tempore cibum potumque non gustauit. Agite ergo vos etiam studiosi sapientiæ, cumq; à studijs non nihil respirare voletis, ante manibus decenter lotis mensæ vobis stratæ apparatæq; accumbite; & illud Paulinum diligenter recogitate, *Probet seipsũ homo, & sic de pane illo edat & de calice bibat.*

## *DE FVRIBVS QVI SAPIENTIæ studiosis alimenta conantur suffurari.*

### CAPVT X.

INter omnia plane poculenta ac esculenta quæ supremus ille terrarum Oeconomus Deus humano generi sustentãdo elargitus fuit, nullum pane vinoque aut salutarius aut præstantius est; siquidem hoc hominem exhilarat, & ille exhaustum debilemq; confortat; cui Psalmista adstipulatur dicens: *Panis cor hominis confirmet, & vinum lætificet cor hominis.* Vtrumq; autem ad humanam naturã sustentandam nutriendamq; à Deo concessum nobis est. Hoc ergo cum nonnulli nebulones sciant atq; intelligant, omnibus modis allaborant, eum vt cibum Sapientiæ studiosis subtrahant ac suffu-

ren-

rentur. Itaq; cum frumentũ in promptuaria feminariaque conuectũ eſt, adſunt repente inſecta, quæ inſtar furum angulos occupantia, omnem frumenti medullam depaſcuntur, & præter corticem paleaſq; nihil relinquunt. Similiter in cõpluribus locis proximis annis talpæ campum inuaſerunt, illicque ex agris in occultas cauernas frumentum deuehentes, inſigni damno colonos affecerunt. Ex hoc genere ſunt vſuratij & fæneratores qui alijs damnis & alterius paupertate opes ſuas augere cupientes, & opulenta filiabus connubia apparantes, agros inuadunt & frumentum eo modo flagellant vt non niſi ab ijs haberi coemique poſſit. Verum his omnibus peſtilẽtiores totique Chriſtianæ Reipub. pernicioſiores illi ſunt, qui cibos & alimenta Seruatoris IESV diſcipulis ac auditoribus furari ſatagunt, & Verbum Dei ſcripturamque ſacram ijs ſubducere & extorquere cõtendunt: exugentes medullam ſenſus ſpiritualis, & præter inutilem literę verborumque corticem nihil relinquentes. Quos tamẽ illi adhuc ſuperant qui falſo ſceleratoque dogmate CHRISTVM in ſacramento altaris contineri inficiantur: affligentes Chriſti Diſcipulos ac ſtudioſos panem

panem tantum benedictum recipere, qui etsi signum corporis Iesu sit, alius ab eo tamen non est quem pistor coxit: sicque quantum ipsis est, animabus Christianis cælestis & angelici panis nutrimentum subtrahere conantur. O fures! ô nebulones! ò surdastros! ergo diuinæ iustitiæ Administros non timetis, neue ij vos apprehēdāt nō formidatis? bene admodū surdastros vos appellaui, si nāq; auriū sēsu vteremini, vtiq; verba Iesu Christi intelligeretis qui ait: *Accipite & mãducate, hoc est corpus meum*; quemadmodum S. Paulus ad Corinth. 1. ca. 11. ait: *Ego accepi à Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus in nocte qua tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit & dixit. Accipite & manducate, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cænauit dicens, Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine, hoc facite, quotiescunque biberitis in meam commemorationem. Quotiescunq; enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis donec veniat. Itaque quicunque manducauerit panem,* & *biberit calicem Domini indigne: reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo: & sic de pane il-*

*lo edat,*

*lo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne: iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Hęc verba quisquis sanæ mentis compos pensiculatius examinarit, & adhibita in consilium ratione trutinarit, fieri reuera non poterit, quin confestim intelligat verum corpus Iesu Christi secundũ fidẽ nostrã in altaris illo sacramento cõtineri, quod nobis pro animæ nostræ nutrimento ac refectione propinatur. Neque enim Christus tãtum corpus id suum esse dixit, sed ipse etiam D. Paulus Apostolus præparationem dispositionemque nobis inculcans, quid omnino aliud manifestius ac euidentius indicare potest, quam facta consecratione aliud quippiam quam panem & vinũ in altari remanere. Id enim si non fieret, quid præparatione & anxia illa dispotione opus foret, siquidem ad panem digne decenterque manducandũ cum benedictione illũm sufficit acceptare? Pręterquam quod etiam Seruator Noster Iesus in memoriam mortis suę carne nos sua vesci voluit, & pretioso sanguine potari, Quemadmodum enim filij Israel in memoriam illius quod ex Aegyptiaca seruitute liberati; quodque eorum primogenita cum Aegyptijs ab Angelo oc-

cisa non fuerint, quotannis Paschalẽ agnum esitabant, quemadmodum Exodi duodecimo legimus: Ita nos Christiani per Iesum seruatorem nostrum ex captiuitate Diaboli, Mundi, Carnis & Peccati liberali manu in libertatem asserti, & lõge quam Israelitæ illi excellẽtioribus beneficijs affecti, ex iussu & mandato Præceptoris nostri quolibet vertẽte anno in tantorum meritorum memoriam Agnũ nostrũ Paschalem qui est idẽ Iesus Christus seruator Noster, manducare debem⁹ ac esitare. Verum enim vero quo veritas figuræ respondeat; sicut agnus Paschalis quo Iudæi vescebantur, nõ solum occidi debebat ac immolari, sed etiam ab illis mãducari: ita cõueniens erat vt Iesus Agnus Dei nõ modo in Crucis patibulo immolaretur, sed etiam in cibum à Christianis fidelibus adhiberetur, quemadmodũ S. Paulus docet cum ait: *Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur.* Et quamuis alia scripturę testimonia ad manus plane nulla forent, quibus veritas Teruenerandi istius Sacramenti adstrui posset & confirmari, ipsa tamen id ratio euincere & vulgaris agendi modus interque homines recepta consuetudo cõprobare illud posset. Neque enim omnino res

no res adeo insolens est, Regem tam potentem, Dominum tam liberalem, & spōsum Nostrum tam perdite nos amantem liberale & inæstimabile corporis sanguinisque sui donū Ecclesię sponsæ suæ reliquisse. Illud namq; omnibus etiam mortalibus à natura insitum est, vt ab amico aliquo discessuri pretiosū quodpiā mnemosynō ipsi relinquamus: quo videlicet nobis absentibus donum id intuēs nostri memoriam ex animo nunquam deponat sed multo quam suauissime iucundissimeque recordetur. Id vero ita se habere confiteri plane debes, quisquis ab omni amore & humanitate non omnino alienus es. Cum ergo Christus etiam Dominus ac Seruator Noster Ecclesiam spōsam suam enixe deperiret, proque ea exquisitissimis tormentis ad mortem vsque omnium facile crudelissimam subijci & excarnificari iam iam vellet, pro passionis suæ suiq; etiam Mnemosynō corpus illi suum reliquit, quod nihilominus corporeos oculos non incurrit, sed sub speciebus sacramētalibus latet absconditūq; est. Quis verò non egregie sordidū & illiberalē Dominū Nostrū existimare potuisset, si iā iā à dilecta sponsa, id est Ecclesia discessurus panis illi frustū mnemosyni

loco reliquiſſet; nõ multo parco & auaro alicui abſimilis mẽdicabulo & egeno ſtipem ſeu panis cruſtulam porrigenti. Non audiantur itaque friuolæ illæ & abſurdæ voces quas noſtra tempeſtate Sacramentarij iactant: aſſerentes ad ſui perditionẽ in cæna Dominica, præter panem ac vinũ nihil reperiri. O linguas virulẽtas! ò blaſphemias execrandas! Negare certe non poteſtis, mortales miſerrimi, Chriſtum Sacramentum hoc ſuum in ſui memoriam inſtituiſſe cum ait: *Hoc facite in meã commemorationem.* Id autem ſi ita eſt, (ſi pro quia) an nõ exiſtimatis Reges ac Principes ſponſis ſuis valedicturos, viuam ſui effigiẽ relinquere debere, imò ſi poſſent ſeipſos, amoris videlicet vi ac vehementia eos incitante? Et quis dubitet Chriſtũ verum Deum & hominem, cui facultas & voluntas vnũ ſunt, quique omnia poteſt, Eccleſiæ ſe ſuæ dilectiſſimæ ſponſæ corporaliter ſub panis & vini ſpecie relinquere voluiſſe? ſequamur ergo potiꝰ quo ratio aurigatur, & quod ſcriptura clare ac diſerte atteſtatur, nos ſimiliter abſque ſcrupulo credamus, & Seruatorem Noſtrum Ieſum in altaris Sacramento adoremus ac veneremur. Verum enim vero, Chriſtiana anima, vnde tu deuotionem

illam

illam quam in te ſacramento iſthoc digne accepto experiris, proficiſci credis, vnde corporis animæque illud robur, vnde lætitiam & tripudium internum, feruorē diuinæ charitatis, cæleſtem dulcedinem & guſtum rerū ſpiritualium, vnde affluētiam pacis & tranquillitatis internæ, amorem bonorum æternorum, deſideriū indies in melius proficiēdi, affectionem virtutum, & denique vehementem illam ardentemque ignearum gratiarum exhibitionem promanare arbitraris? An tu ergo panem materialem tāta virtute poteſtateq; pollere exiſtimas? Nequaquam: IESV enim Chriſti ea vis & efficacia occulta eſt. Etenim ſi ora veſtimenti Domini noſtri Ieſu Chriſti digitis tantum contacta hæmorroiſſam ſanauit; quid mirū eſt ſi poſt ſacramentum altaris digne & reuerenter perceptum in præſentia Ieſu Chriſti tantam vim ac efficaciam ſentiamus? Certe poſt ſuſceptionem humilem ac deuotam ſanctiſſimi huius ſacramenti, odia inter Condiſcipulos ceſſant, contentiones ſopiuntur, controuerſiæ tollūtur, lites componuntur, vitia diſplicent, terrena ſordent, pudicitiaque ante omnia colitur ac honoratur. Per hanc homo totus alius fit, non natura ſed gratia, totus

conuertitur ac totus in melius mutatur, refrenat linguam, amat silentium, orationi vacat, fraternitatem vnionemque desiderat, cordis munditiē conseruat, & omnia quæ Deo placere intelligit confestim exequitur. Qui omnes spirituales profectus tales reuera tantiq; sunt, nō vt aliunde quam à bonitate S. spiritus & iucunda Iesu Christi præsentia proueniunt, qui in sacramento altaris mirabiles actiones exercet, sed non æqualiter erga omnes, obstupendamque suam efficaciam pro dispositione recipientis distribuit. In huius olim venerabilis sacramenti honorem & solennitatem Vrbanus 4. Papa, duobus laudatissimis ea tempestate hominibus D. Thomę è familia nostra Prędicatoria, & D. Bonau. ex Ordine S. Francis. in mandatis dedit, solenne vt Officium de venerabili illo sacramento conscriberent. Vtriusq; ergo ab vtroque absoluto, D. Thomæ plus placuit, idq; postea approbatum etiamnum in S. Romana Ecclesia decantatur. Itaq; inter omnia etiam diuina officia & annuas solennitates, vnū hoc mihi maxime placet & ad deuotionem in hominum cordibus singularem excitandam appositissimum esse videtur: in quo plus Diuinum quam Humanum depre-

pre-

prehenditur, vbi figurę cum veritate miſcentur, & vetus nouumq; teſtamentum ita affabre iucundaque copula colligantur, modo vt Reſponſorium ex nouo & Verſiculus ex antiquo depromatur, & modo verſus ex nouo Reſponſorium autem ex vetere Inſtrumento petatur. Quis non commoueatur, quis non occulte feriatur pulcherrimum iſtum verſiculum cani audiens? *Panis angelicus fit panis hominum, dat panis cælicus figuris terminum. O res mirabilis, manducat dominum pauper ſeruus, & humilis.* O ſacrum conuiuium in quo Chriſtus ſumitur! O ſingularem & admirabilem, cum donator Deus qui donat, donū eſt quod donatur! Qui dat oblatus eſt & datur. O inſignem munificentiam, dū Redēptor noſter in cibū ſe nobis porrigit & loco alimēti Diſcipulis ſuis apponit! Facit hoc videlicet ille, vt nobis per cibū vitā reſtituat, qui per cibū mortē nobis cōſciueramus. Lapſus fuit homo mā ducato cibo prohibito, & ecce iam fructu vitę ſibi cōceſſo atq; indulto comeſto releuatur. Alter letalis eſt, vitalis alter: alteri mortis ferculum appendet, alteri vitę nutrimentum. Guſtus prioris nos vulnerauit, iſte autem contra nos ſanauit. Sicque vnde plaga proceſſit,

medicina pariter consecuta fuit. De altero dicitur: *In quocunq; die ex illo comederis morte morieris*. Et de altero seruator Noster ipse ait: *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuit in æternũ*. Elucent profectò in hoc cælesti Mysterio mirabilia tua, ò bone Iesu, qui nullam animam perire sed vitam habere vis: qui mortuos, & iam cum Lazaro quatriduo sepultos ac fætentes, id est, in longa peccatorum consuetudine defunctos, à scelerum morte ad vitã spiritualem resuscitas, resuscitatos mensæ accumbere iubes, & accumbentes delicatissimo sanguinis & corporis tui epulo pascis. Poteras ne aliquid, ò bone Iesu in cęlo vel mundo reperire quod melius dare te nobis posse existimares? Non credo: tu enim summum bonũ es, imo te nihil melius præstantiusq; est, quippe qui æternum Dei verbum es, in quo omnia vitam habent, filius vnigenitus Dei, sapiẽtia patris, splendor glorię, inuisibilis imago illius bonitatis, fons vitæ, principium creaturarum, conditor Angelorum, plasmator hominum & Redemptor. O amorem! ò amorem! Assumpsisti tu ante humanitatem nostram, & ecce iam nunc etiam in cibum tuam nobis largiris Deitatem! O Discipuli Iesus, custodite amabo pottio-

portionem hanc vestram, seruate cibum ne ab impijs Hæreticis vobis auferatur. Quod si aliquos animaduertatis, ne dubitate vocē mittere & clamore eos prodere: cum namque Deo sit laus Gallorū Regem habemus, qui iustè ac seuere in latrones istiusmodi animaduertet, sicut nuper declarauit, quando Sacramentarios, post luculenta damna Lutetiæ ac alijs ciuitatibus illata, postque blasphema mandata & schedas affixas, igne sibi putauit esse exurendos. O insigne beneficiū quo Deus in calamitoso isthoc & exulcerato sæculo Rempub. Christianā affecit, largiēdo illi Principem quà nomine quà facto Christianissimum. Quemadmodū enim Phinees, fornicatore Iudęo & Idololatra Madianita è medio sublato, etsi alter Dux altera Ducis filia esset, Deum placauit & genti suę reconciliauit: Ita etiam iam nunc sublatis impijs Hæreticis Christianissimus Noster Rex Deum placauisse, & pacem tranquillitatemque nobis restituisse iudicandus est. Odor reuera namq; pulcherrimi istius Gallici lilij venenum serpentis nullo modo pati potuit ac tolerare. Neque vero minus beneficij supremus ille Deus nobis contulit, quando maledictos illos Hæreticos in diuer-

fiſſimas ſectas opinioneſque ita diuiſit, nullus vt cum altero facere velit ac conſentire. Ita dum Lutherus hoc, Oecolampadius iſtud, & Brentius vtrique contrariũ dogma fabricatur, turpiſſima diſcordia, putidum ſuum errorem produnt, & confitentur: diuagantes per obliqua viarum & proprijs hæreſum gladijs miſerrime ſe conficientes. Vnde ſicut olim Gigantes illi Nemroth turrim ad cælum vſque erigere ſatagebant, quo videlicet hoc pacto nominis ſui ad poſteros celebritatem tranſmitterent: quos tamen poſtea Deus ita confudit, alter vt alterius linguã intelligere non poſſet: Ita moderni noſtri Hæretici nefarijs ac inauditis ſuis dogmatibus nouam Eccleſiam alteram turrim Babel extruere molientes, eadem qua Gigantes pœna puniuntur, nemo vt alterius placita vocẽq; velit recipere: omnib[9] in vnum hoc conſpirantibus ſoli vt Sapiẽtes & Apoſtoli habeantur. Quo maior Dei Noſtri beneficentia eſt, qui ex alto Eccleſiam ſuam reſpiciens, Hæreſiarchas mutuis telis ſe conficere & inuicem contrucidare ſinit. Cui ſoli honor & gloria, qui ſingulari iſthoc modo Eccleſiæ gregique ſuo auxiliatur. Amen.

LAVS

## *LAVS ET ENCOMIVM COL- legij Sapientiæ.*

## CAPVT XI.

INter omnia nostræ ętatis Prytannęa & quædam veluti bonarum artium Collegia, non immerito Romanum illud quod non reipsa minus quā titulo Sapiētiam præ se fert, principem facile locum obtinet & cæteris amplius celebratur. Id tamen neutiquam cum magnifico illo nostro splendidissimoque collegio comparari potest, quod Iesus Christus exęd ficauit, templum inquā Dei & in quo omnes thesauri sapiētię absconditi sunt. Et est reuera ille sapientia nostra, est pulcherrimū Collegiū nostrū in quo bona omnia & scientiæ vniuersæ cōprehēduntur. Hūc ergo quisquis perfecte cognouerit, is plenā absolutamq; doctrinā indeptū se esse existimet; quēadmodū S. Paul. ad Philip. 3. attestatur dicens: *Existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei, propter quā omnia detrimentum feci, & arbitror omnia vt stercora vt Christū lucrifaciā* Neq; enim quidquā melius sciri potest verbo diuino, quod Sapientia infinita est. Itaque sicut Maria Magdalena IESV CHRISTI diligens

ac studiosa Discipula, aliam lectionem quam verbū audire non voluit: Ita quoq; nos Christiani Dei verbo ac sermone cōtenti esse deberemus: non tentantes mare scripturarum: & inexhaustam illarum abyssum perscrutantes. Imitare mihi, ô Christiana Anima, quod D. Petro dictū fuit, qui solus maris profundum ingredi, & retia piscaturus eijcere iussus fuit. Sufficiat tibi cum filia Regis Pharaonis ad litus maris exspatiari, illicq; seruatorem Nostrum Iesum Christum cista vteri virginalis inclusum piscari. Quod si etiam alto te credere cupis & profunda scripturæ sacræ mysteria perscrutari desideras, peritum tibi nauclerū elige; nisi in propriam perniciem facilis esse velis. Scripturæ lectio vt optima ita vtilissima est, simplicibus autem interprete ac Philippo aliquo opus est. Nam & S. Petrus in secūda sua Canonica ait, in Epistolis D. Pauli difficilia quædam obscuraque reperiri, quę quod minus à rudibus intelliguntur, ideo ad corruptū adulterinumq; sensum à malis trahuntur. Vnde consequitur Interprete aliquo opus esse qui facem præferat & obscura difficiliaque enucleet. Simile est quod S. Paulus primæ ad Corinthios ca, 14. ait; Eum qui donum linguarum

rum acceperit in Ecclesia tacere oporte-re nisi interpretem habeat: Et causam ad-dit, quia videlicet dona Dei ad vtilitatem Ecclesiæ non autem alio fine adhibenda sunt. Ecce tibi hic causæ meæ præsidium, ecce arcem ecce fundamentum! Etenim si rudes ac illiterati dum Biblia Gallico aut vernaculo alio idiomate descripta le-gunt, inde non ædificantur, ecquid opus est ea illis porrigere? Annō est hoc loqui secundum linguarum donum absque in-terprete? quod ideo à S. Paulo Apostolo prohibetur, quia sæpius ruinæ quā ędifi-cationis causa est. Ac vide mihi paulisper quid Neemiæ 8. cap. dicatur: *Leuitæ silen-tium faciebant in populo, populus autem stabat in gradu suo, & Esdras interpretatus est eis verba legis.* Vt enim qui militiam & ca-stra secuturi sunt à prima adolescētia ar-ma tractant, & sub insignibus strategis ac Imperatoribus militarem disciplinā dis-cunt; quemadmodum adolescentuli illi faciebant, quos Dauid sagittandi artem docebat: Et sicut etiam sclopetarij ac sa-gittarij certos statutosq; dies habent, qui-bus ad scopum colliment & eiaculentur, donec artis periti sint: Ita etiam in sa-piētia diuina, quæ ex scripturis sacris hau-ritur, nonnullos auditores ac discipulos,

& alios Magistros Doctoresq; esse oportet. Vnde magno bono & sapienter admodum in alma nostra vniuersitate Parisiensi cautum est, ne impune sit effreni nonnullorum licentiæ sacras literas interpretandas suscipere ac explicare. Vbi terminum illum obserua *effrenis licentiæ*; Neque enim omnino vsum sacrarum literarũ vulgo interdicit, quod stupidi nõnulli & deliri calumniantur; Quippe cum scriptura sacra optima per se sit & potentissima animarũ Medicina. Verũ adhibẽda illa est ex præscripto Medici spiritualis, sequẽda explicatio Doctoris Ecclesiæ, ne quod ex se bonũ est, quia male intellectũ fuit, explicanti male cedat. Nã si pharmaca etiam quæ per se bona esse nouimus, tamen nõ nisi cum periti doctiq; Medici cõsensu & cõsilio accipimus, & si id propter corporis rationẽ faciendũ nobis esse ducimus, ad maiorẽ animarũ salutẽ idipsum nõ faciamus? Quod si etiã hoc loco obieceris: Vinũ bonũ ac generosum vendere licere, etsi nõnulli eo abutantur ac inebrientur, eodemq; modo nec vinũ diuinæ Sapiẽtię quod in scriptura sacra nobis propinatur, populo interdici, tametsi nõnullos mala & peruersa ei⁹ explicatio perdiderit ac inebriarit; Respõdeo, si modus

dus

dus aliquis vini illius boni absq; aliorum pernitie & ebrietate vendēdi sciri posset, adhiberi eū frequentariq; oportere. Hinc veri nos & nō adulterini Iesu Christi Discipuli modū omnibus scripturæ sacræ vinū propinandi habemus, nullus vt ex eo corrūpatur ac inebrietur: offerētes videlicet illud aqua Doctorū Ecclesiæ & peritorum concionatorū ante dilutū. Et si & illud non immerito videri potest aliquid quod quantūuis vinū per se bonū sit, id tamen nō omnibus promiscue, & infantibus plane non propinatur, quia videlicet vsum illius ignorant. Age proinde & tu Christiana Discipula, bibe vinū sacrarum scripturarū quēadmodū id ego tibi præbibo, propino, & explico; hacque ratione nō te corrūpet, nō inebriabit, nō demētabit. Precare adhæc diligenter Spiritum S. quatenus tibi gratiā suā largiri dignetur, quo facilius dulcissimum illius vinum à fęculēto & adulterino dignoscas. Precare inquā illū assidue & sedulo, & introducet te cōfestim in cellā suā vinariā, illicque generosissimum diuinę sapiētię vinū nunquā inebriandæ & eo quo dixi modo promet ac propinabit. Verū hæc vt opinor satis superq; multa sunt, vt tā ijs qui vulgatam nimis Bibliorum lectionem

accusant, quã qui eam defendunt & propugnant, factum à nobis satis esse videatur. Neque enim quod illi mendaciter calumniantur, patris sui testamẽtum eripio, sed id à Presbyteris & publicis Dei notarijs legi præcipio. Non aufero illis panẽ filiorum, sed à legitimis Patrisfamilias seruis & Dispensatoribus distribui eũ debere dico. Non reijcio bonum vinum, sed instar præconis clara voce ad tabernam publicam bibituros inuito. Non repello studiosos, sed eos in Collegium Sapiẽtiæ recipio; vnumquemque autem secundum regulam, hunc Magistrum, illum Auditorem salutãdo. At quæres tu fortassis hoc loco dilecta Iesu Christi Discipula, quomodo qui de Collegij Sapientię laudibus dicere instituerim, ad hanc disceptandi materiam prolabar. Et quamuis à proposito aberrauisse me nonnihil faterer, eum tu tamen errorem vt salutarem interpretaberis, & eorum tãtum gratia commissum credes, qui scripturam ab hominib⁹ discere, & sacras literas à legitimis doctoribus explicari audire dedignãtur: dicentes paruulis & simplicibus reuelata esse quæ literatos fugiant & eruditos O cęcam ignorantiam! ô ignorantem cæcitatẽ! Qui ergo superbiæ typho inflati sunt, qui

qui plus omnibus ſapere ſe arbitrantur, qui mortalium arrogantiſſimi ſunt, qui Doctores aſpernantur, & nō aliter quam Atlante cælū ita ſuo ſupercilio Religionem & Spiritum S. etiam niti exiſtimant? Quid eſt Hierarchiam Eccleſiaſticam euertere ſi hoc non eſt? de qua S. Paulus ait: *Deus dedit quoſdam quidem Apoſtolos, alios autem Prophetas, alios verò Euāgeliſtas, Alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti.* Et alibi docet, Singula corporis membra ſingulas operationes habere, alio oculum, alio manū, alio deniq; officio pedes fungi: oſtendēs ſimiliter in Eccleſia alios vt oculos ſe habere, ignorantes ducendo & rudibus præeundo: alios autem manuum inſtar eſſe, labores exantlando & operando. Quid? Moyſes ille intimus vt ſic dicam Dei familiaris, etſi cum Deo colloquiū inſtitueret, affinis tamen ſui Ietronis cōſilium non aſpernabatur. Quin & S. Paulus ab ipſo Deo doctus, vſq; in tertiū cęlum raptus, ad Ananiam erudiendus accedit, poſtquam iam ante ad pedes Gamalielis legē didiciſſet. Similiter Cornelius authore & ſuaſore Angelo. S. Petrū quæſiuit, vt ab eo in vera fide inſtrueretur. Scimus

mus adhæc D. Hieronymum SS. Gregorio Nazianzeno & Didymo præceptoribus vsos fuisse. Scimus S. Augustinum à D. Ambrosio, & S. Martinum à D. Hilario sancte ac religiose viuendi præcepta accepisse. Scimus deniq; S. Irenæum ab ijs qui Discipulos Apostolorum audiuerant incorruptum Christi Euangeliũ doctrinamq; hausisse. Verum hæc ego iam nũc missa faciens ad propositum nostrum regredior, & quod institui Collegij nostri dignitatem encomiumq; expono. Id autem in quatuor fere punctis consistit. Primũ in illustri dignitatis gradu & authoritate, quam ex ipsa sapientiæ scaturigine baurit, quę immediate à Deo inspirata est. Quæ autem in rebus corporeis à Deo immediate proficiscuntur, ea omnium plane iudicio cæteris vniuersis anteferẽda sunt, quæ à secunda naturalique causa procedunt. Ita D. Chrysostomus ait, vinum in nuptijs Galileæ à Deo ex aqua factum omni vino nobilius ac generosius fuisse. Vnde concludimus Scripturã sacram immediate à Deo inspiratam, & ab illo in Sapientiæ Collegio legi solitam omnibus reliquis sciẽtijs & libris ad spiritualẽ animæ perfectionẽ facientibus ante-

antecellere atque præstare. Nam & sapiẽtia cap. 7. ait, eam puram & sinceram claritatis diuinæ emanationem esse. Secunda Collegij nostri dignitas in eo consistit, quod omnes disciplinas anteuertit, quia omnibus meliorem religiosioremque finem intendit; & hæc ex Prima oritur atque promanat. Quo enim aliquid principium excellentius & originem nobiliorem habuerit, hoc perfectiorem laudatioreq; sibi finẽ proponit, quemadmodũ in igne patet, qui ideo ad sublimem locũ emicat quia videlicet ex sublimi altissimaq; aeris regione descendit. Verum enim vero scientiæ illæ cæteræ quæ in Collegijs hominum tractantur, quia ab hominibus inuentæ & excogitatæ sunt, ideo terrenum humanumq; tantummodo sibi finem prefixum habent: & ex terra ortæ in terram necessario reuertuntur. Nostra autem sapientia ad Deum nos deducit, & ad Paradisum vsque nos comitatur. Tertia Collegij dignitas in eo elucet, quod omnem veritatis certitudinem excedit: siquidem sapientia illa quæ in sacris literis continetur: nõ naturali aliquo lumine comprobata, cui sæpissime error adiunctus est, sed diuina reuelatione & certa infallibilique diuini numinis fide confir-

confirmata receptaque fuit. In hac ergo sacrosancta doctrina, quidquid dicitur veritas est, quidquid præcipitur bonitas, & quidquid promittitur felicitas est. Deus enim veritas sine fallacia est, bonitas sine malitia, & felicitas sine miseria. Quarta Collegij nostri laus à profunditate sublimium mysteriorum & secretorum diuinorum in hac doctrina latentium & occultum sensum habentium petitur. Vt enim diuinitas Redemptoris nostri Iesu Christi sub veste humanitatis delituit, ita sub velo & quasi terra Sacrarum scripturarum spiritus æternæ Sapiētiæ fallit abscondituśq; est. Sapientia autem ista tam alta & profunda est, ipse vt S. Paulus ad Romanos vndecimo exclamere non vereatur: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ* Dei, *quam incōprehensibilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles viæ eius!* Et alibi. *Quis cognouit sensum Domini aut quis cōsiliarius eius fuit?* Vnde ad Ephesios cap. 3. ait, Deum se indies sollicitare, quatenus illis diuinorum & sublimium mysteriorum intelligentiam concedere ac elargiri dignetur. *Huius rei gratia*, inquit, *flecto genua mea ad patrē* Domini *Nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur, vt det vobis secundum diuitias*

*tias gloriæ suæ virtutem corroborari per spiritum eius in interiori homine Christum habitare per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati & fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & sublimitas & profundum: scire etiam supereminentem sciētiæ charitatem Christi, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Habes hic in tabula sapientiam Christianam quam quilibet hominum in hoc Collegio discere debet, viuis coloribus à S. Paulo adumbratam; quæ Charitas est. Quidquid enim in mysterio redemptionis humanæ & incarnationis IesuChristi cælũ ac terra admiratur, id totum charitatis opus est; adeo vt ipse propter charitatem humanã naturã assumpserit, & simul in cruce expirarit. Quisquis ergo IesuChristi charitatẽ nouerit, is profũdissima natiuitatis, mortis, ac passionis suæ mysteria simul intelligit, quæ ex immensa illa Dei charitate profluxerunt, quæ omnem sensum intellectumque humanum excedit. Hanc autem S. Paulus ideo supereminentem vocat, quia videlicet quatuor dimensiones in se continet atque complectitur; Latitudinem, Longitudinem, Altitudinem, & Profunditatem. Latitudinem trabes trãsuersum in formam Crucis dispositæ cõ-

stituunt,

stituunt, vbi seruatoris Nostri sacratę manus clauis traiectę & ligno affixę fuerunt: quæ ideo etiam Charitatem ipsius significant, quia ad inimicos vsque suos protendebantur, pro quibus Deū Patrem orauit, idem faciendi paradigma & prototypon nobis relinquens. Longitudo in Cruce recta ac eleuata spectatur, quæ pōdus Dominici corporis à pedibus vsq; ad caput sustinuit, simulq; perseuerantiam non obscure significat quæ hominē saluat ac sustentat: Nam *qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Et perseuerauit eo modo in Cruce Dominus Noster, tametsi ei à transeuntibus acclamaretur: *Descendat de Cruce & credimus ei.* Altitudinem & sublimitatem per Crucis partem superiorem vbi sacrosanctum eius caput requiescebat, & per tabellā titulū triplicē continentem intellige; quæ sicut in altū tendit & cęlo proxima est, ita nos pręclare docet, quemadmodum cogitationes nostras sursum attollere & in Deo sperare debeamus. Profunditatē deniq; quartā & vltimam dimensionem inferior pars & Crucis in terram descensus repręsentat; simulque profundam eius humilitatē omnibus nobis sedulo sectādam figurat. Maneat ergo quod antea diximus Sapiē-

tiam esse quę isthæc omnia in se contineat, & hoc mysterium mysteriorũ complectatur. Præterquam quod etiã in Deo per modũ similitudinis quatuor istas dimẽsiones reperiri elucereq; dicere possumus. Latitudinem namq; illius potentia & sapientia super omnes effusa prę se fert. Longitudinem æternitas siue æterna duratio. Altitudo excellentiam & nobilitatem diuini ortus, qui infinitis distantijs creaturas vniuersas antecessit. Profunditatem deniq; incomprehensibilis eius sapientia demõstrat. Vnde Iob cap. 11. legimus: *Forsitam vestigia Dei comprehendes, excelsior cælo est, & quid facies, profundior inferno est & vnde cognosces? largior terra mensura eius & latior mari.* Habes ergo iam nunc quæ de quarta Sapientię dignitate fusius paulo dicenda nobis videbantur: cuius nos exiguam in mundo particulam possidentes in cælesti Paradiso totam & absolutam possessuros nos arbitramur.

## *DE QVATVOR FACVLTATIbus quæ in vniuersitate virtutis florent.*

### CAPVT XII.

IN omnibus laudatis & celebribus

vniuersitatibus quatuor admodū facultates sunt, quas qui cum laude tractauerint, ij deinde Magistri, Licentiati, Baccalaurei, & Doctores salutantur; videlicet alma facultas Theologorum, consultissima Iuristarum, saluberrima medicorum, & acutissima Philosophorum. Ab hac autem professionum & facultatum varietate mirum omnino est, quantum lucis ac splendoris Academiæ & Vniuersitates consequantur. Quemadmodum enim discolores & polimitæ vestes incredibilem gratiam conciliant & ornatum adferunt; dicente Psalmista: *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate, omnis gloria eius filiæ regis ab intus, in fimbris aureis, circum amicta varietatibus*; & quemadmodum corpus humanū seipso pulchrius formosiusque euadit, si illius membra bene disposita & proportionata sint. Ita difficile dictu est quantā venustatē quatuor illæ facultates Theologia, Iuris prudentia, Medicina, & Philosophia Vniuersitati huic nostræ concilient. Has nos accuratius paulo inspecturi & examinaturi à minima quę Philosophiam, & omnes artes liberales quæ septem numero sunt complectitur, incipiemus. Prima est Grammatica rectè & con-

gruè Latine loquendi methodum ac prę-cepta subministrans. Hæc scriptura sancta est in qua omnis sapientia absconditur: docens quemadmodum sermones vani ac futiles fugiendi, quomodo alteri non detrahendum, quomodo barbarismi & incongrua illotaq; verba fugienda sint, dicente Apostolo: Si quis loquitur quasi sermones Dei. Secũdam artem Logicam appellamus, quæ quomodo argumentari & disputare, quomodo verum cognoscere, falsumq; deprehendere possis declarat. Hanc si quis alius certe Diabolus optime callet, qui egregius sophista, omnes suas fallacias eò tãtummodo confert, vt falsis suis argumentationibus nos concludat atq; constringat. Hic peritus Logicus putidissimum Syllogissimũ olim extruens ita ex præmissis argumentabatur. concludẽdo ex maiore quæ erat iustitia Dei, & ex minore quam nostra iniquitas constituebat, saluari in æternũ nos non posse. Quin & duis affirmatiuis rem gerebat cum diceret Deus iustus est, & Homo est peccator: sicque hanc ex illis conclusionem inferret, Ergo non salutem sed ęternam damnationem, secũdum diuinam iustitiam & æquitatem expectate. O fallax argumentum! ô Diabo-

licum Syllogismum! Quid faceret natura humana artis logicæ penitus ignara? quid faceret, cum argumentum soluere non posset? ad Deum conuertitur & cum Psalmista precatur. *Multi dicũt animæ meæ non est salus ipsi in Deo eius. Exurge in adiutorium mihi & conclude aduersus eos qui persequũtur me: dic animæ meæ salus tua ego sum.* Hanc orationem Deus clementer exaudiens, pro maiore sui Syllogismi diuinitatem suam posuit, & pro minore humanitatem assumpsit, eoque modo nostram salutem intulit, & omnia in Cruce cõclusit ac cõsumauit. Tũc ergo sophista satanas conuictus fuit, detectę illius strophę, & falsa illi⁹ logica repudiata. Erat è cõtra insignis Logicus & argumentator pœnitẽs Dauid cũ diceret: *Cogitaui dies antiquos & annos æternos in mente habui, & meditabar nocte cũ corde meo, & exercitabar, & scopebã spiritũ meũ.* Dies illi antiqui, primi dies sunt in quibus Adã & Eua propter vnã transgressionẽ, exilio plexi fuerunt. Vnde Pœnitens ait: Si propter vnicũ delictum primi nostri progenitores adeo acriter excepti fuerunt, quid me fiet qui tot flagitia designaui? Habui adhęc dies ęternos in mente mea, cogitans quemadmodum in æternum cõdemnentur, qui in diuina offen-

offenſa perſtiterunt: & quomodo in ſempiternum multi perdantur propter breuē ac tranſitoriam voluptatē. Ita ergo cum me ipſo diſputans exercebar atq; dicebā. Nullum malum impunitum remanebit, at ego feci malum, ergo puniri debeo. Hocq; modo contritione & pęnitentia, in me excitata ab omnibus peccatorum ſordibus ſpiritum meū repurgabā. Tertia ars Rhetorica dicitur, quæ ornate & eleganter loqui docet, modum corā Regib⁹ & Principibus orandi ſuppetit, & Oratorē facit. Hæc ergo etiā in Collegio ſapientię traditur, in quo diſcimus quomodo Deū orare, ad Regē Regū verba facere, & corā illo animi noſtri ſenſa proferre debeamus, quēadmodū antea declarauim⁹, & fuſius Guilielmus Pariſiēſis, in diuina Rhetorica demōſtrat. Quarta ars liberalis Muſica eſt, quæ bene canēdi pręcepta methodūq; ſubminiſtrat. Hęc in ſcriptura oppido laudatur & commēdatur. *Beatus popul⁹*, inquit Pſalmiſta, *qui ſcit iubilationē*. Et de ſeipſo ait: *Cātabiles mihi erāt iuſtificationes tuæ in loco periginationis meæ:* Callebāt hāc Muſicam perfecte & memoriter tres illi pueri in ardentē fornacē Babylonicā cōiecti cum dicerent: *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate eum &*

*superexaltate eum in sæcula.* Quin & D. Paulus egregium se cantorē demonstrauit cum diceret: *Psallam Spiritu, psallam & mente.* Quoties autem nobis male cum proximis nostris, aut corpori cum animę minus bene conuenit, quando in seruitio Dei constituti sumus, toties contra Musicæ præcepta peccamus & halluzinamur. Quinta ars liberalis est Arithmetica, quæ numerandi modum suppeditat. Hæc etiam in sapientiæ Collegio floret, quando videlicet boni Christiani diuina beneficia pernumerant, ea sigillatim in memoriæ tabulas referentes, & animæ rationibus inscribentes, nunquam vt eorum possint obliuisci. Tum quando Cōscientiæ suæ conclaue ingrediuntur, illic cum animo rationem instituunt, peccata omnia numerant, & ad cōfessionem post diligens examen accuratamq; discussionem accedunt: alias enim cum Iob Confessarium suum rationum Præsidem sic alloquuntur: *Responde mihi quantas habeo iniquitates & peccata, scelera mea atque delicta mea ostende mihi;* ostēde inquam mihi illa, quia computare nescio, quia Arithmeticam non calleo. Consequitur adhęc homo per hanc scientiam, vt in algorismo humanæ vitæ breuitatem & dierum

suo-

ſuorum paucitatem deprehendat, & cum Propheta Dauid ſic ſtatuat: *Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni, ſi autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor*, Tametſi Arithmeticum plane nullum inuenias, qui rationibus & abaculis ſuis eo euadere valeat, vltimū vt vitæ noſtræ diem vnicuique edicat. Vnde Iob dicebat: *Nunquid non paucitas dierum meorum finietur breui?* Et Dauid ſupplex in hæc verba Deum compellabat: *Notum fac mihi Domine finem meum, & numerus dierum meorum quis eſt, vt ſciam quid deſit mihi?* Sexta inter artes liberales Geometria eſt, quæ pōdera & menſuras, magnitudinem, altitudinem, propoſsionem, æqualitatem aut inæqualitatem tam theorice quam practice examinat, & in ijs examinandis regulas, quadrantes, & aſtrolabia vſurpat. Hæc etiam in Collegio Sapientiæ exercetur, quando infinita diſtantia & improportio Creatoris & Creaturæ, Deique & Hominis explicatur. Habet namque ille domum adeo vaſtam & diffuſam, nullus vt eam Geometra metiri valeat ac menſurari: dicente Scriptura. *O Iſrael quam magna eſt domus Dei & ingens locus poſſeſsionis eius.* Cui & Dominus noſter Ioan. 12. adſtipu-

stipulatur: *In domo patris mei mãsiones multæ sunt*. Per hanc artem terram cęlo minorem & velut punctũ ad id se habere intelligunt; & Infernum barathrũ abyssumq; perditionis esse cognoscũt. Vltima artiũ liberalium est Astrologia, quæ astrorum planetarum, ac cæli doctrinã tradit. Hæc etiam in virtutis vniuersitate floret atque excolitur, quando mente cælestia speculamur, & D. Paulo ad Colossenses obtemperamus: *Quæ sursum sunt quærite*, inquit, *vbi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram*. Erat istiusmodi Astrologus S. Paulus ad Philippenses 3. scribens: *Nostra conuersatio in cælis est*. Illic stellæ sunt claritate differentes & splendore dispares, idest Sancti gloria non vna eadẽq; fruentes sunt. Erat etiam talis Astrologus Abraham, quem Deus oculos in cælum attollere, stellas numerare, & ex illarum multitudine gentis suæ magnitudinẽ iussit æstimare: Porro præter has dictas artes liberales alia adhuc scientia reperitur, quæ Perspectiua dicitur, & modum videndi, virtutem aspectiuam, & potentiam visiuã persequitur, quãq; in Paradiso exercebimus Deũ facie ad faciem intuentes: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*

*faciē*, inquit Sanct. Paulus primæ ad Corinth. capit decimotertio, Cæterum prima iam nunc artium liberalium facultate explicata, ad eas, quæ supersunt transeamus. Est ergo secunda facultas Medicina quæ Philosophiam sequitur, quemadmodum vetus paræmia indicat. *Vbi desinit Physicus incipit Medicus.* Vnde illud medico inprimis curandum est, vt naturalis siue Physicus sit, vt naturalia cognoscat, eorum qualitates exploratas habeat, & secundum illas pharmaca sua propinet. De hac facultate scriptura inquit: *Honora medicum propter necessitatem, creauit illum Altissmus. Altissimus de terrâ creauit Medicinam & vir sapiens non abhorrebit illam.* Verum inter omnes Medicos de quibus memoriam post homines natos accepimus, nemo excellentior fuit IESV CHRISTO Seruatore Nostro: qui in hospitale huius mundi adueniens, instar veri Samaritani vulnera nostra non cataplasmatis aut pharmacis, sed pretioso sanguinis sui emplastro sanauit. Ob hanc namque eandemque causam ipse Matth. nono, medicum se appellauit dicens: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.*

Hanc facultatem ſcriptura ſancta tradit, quando contra morbos amarum doloris pænitentiæque catapotium præſcribit; & medico ſpitituali id eſt Sacerdoti & Confeſſario lotium monſtrare iubet, & peccatū detegere ſuadet: vt videlicet ille cōtra vlcera & tumores ſuperbiæ humilitatis drachmam præſcribat, & contra gulā diætam ieiunij præſignet. Et erat hoc etiā conſilium S. Iacobi cap. 5. Canonicæ ſuę Epiſtolæ dicentis. *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum.* Porro quēadmodum nemo non fatuum & emotæ mentis illum arbitratur, qui corporis aliquo morbo affectus rudem & ignarum Medicum conſulit; ita reuera is ſtolidiſſimus exiſtimandus eſt, qui Medicum ſpiritualem rudem & inexpertum, ideſt ſurdum, cæcum & ignarū adhibet. Vt enim Seruator Noſter Ieſus leproſis vt ſacerdotibus ſe oſtēderent iniunxit: ita & nos corā Confeſſarijs ac Presbyteris vulnera noſtra detegere & peccatorum plagas debemus aperire. Iam tertia etiam facultas quæ in Sapientiæ Collegio traditur, Iuris Ciuilis ac Pontificij cognitionem complectitur. Nam ſi Euangelium Ieſu Chriſti

Christi; velut alteras Nouellas, inspexeris, fieri omnino nō poterit quin exemplo manifeste intelligas summum Romanum Pontificem Monarchiæ Ecclesiasticæ caput esse, & D. Petri successorē: cui Dominus Noster ait: *Pasce oues meas.* Perspicies deinde confestim etiam ex Sacrarum scripturarum lectione, Omnes eos qui Ecclesiæ matri suæ non obtemperauerint, Ethnicos censendos esse & Publicanos. Quod autem ad Iurisprudētiam Ciuilem attinet, vbi tu eam melius quam in Codice Sacrarum scripturarum reperiri posse arbitraris? siquidem ea te docet, quomodo Regi fidem, quomodo tributum, & quomodo clientelam præstare debeas; quemadmodum Seruator Noster Matthæi vigesimo secundo insinuat dicens: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari & quæ sunt Dei Deo.* Et S. Paulus ad Romanos 13. inquit: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi à* Deo, *quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati: Dei ordinationi resistit. Reddite ergo omnibus debita, cui tributū tributū, cui vectigal vectigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem.* Nunc quoniam de quarta, & præstantissima facultate Theologorū satis superq́;

 supra-

supradiximus, cum qui de diuersitate Professione in Collegio sapiētiæ fuit absoluemus.

## *DE RECTORE DICTAE Vniuersitatis; deq; illius sigillo.*

## CAPVT XIII.

QVod in omnibus bene constitutis Academijs & vniuersitatibus fieri solet, vnus vt communibus omnium suffragijs Rector eligatur: qui supradictis Facultatibus præsit, Academicum sigillum habeat, & studiosis priuilegiorū fræna modo astringat modo remittat: Idem in virtutis nostra vniuersitate euenisse is præclare intelliget, qui penes Iesum Christum seruatorem ac Rectorem Nostrum omnium prætactarum facultatum Imperium esse non ignorabit. De eo namq; in Ecclesiastico cap. 49. sic legimus: *Ioseph natus est homo, princeps fratrum, firmamentum, parentis, rector fratrum, stabilimentū populi.* Sicut autem Rectores principio fere cum munus prouinciāq; suam suscipiunt, rubeis ác miniatis, postea autem cæruleis vestimentis vti consueue-

ſueuerunt: ita Ioſeph tunc purpura indutus ornatuſque fuit cum illius tunica ſanguini beſtiæ intingeretur ac parenti exhiberetur, qui ait: *Fera peßima deuorauit filium meum Ioſeph* Quin & Seruator Noſter Ieſus tempore Paſſionis ſuæ purpureum iſtud veſtimentum geſtauit, quando videlicet Angeli & beati ſpiritus ſanguine eum ſuo coloratum conſpicientes Eſaiæ illud clamitabant: *Quare rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari.* Et ambulāt coram Rectore iſto impij Hebræi clauis & lanceis inſtructi, Pedellorum inſtar qui ſceptra, aut Lictorum qui Conſulibus faces preferre ſolent, qui poſtquam purpuratū ſatis ſuperq; deriſiſſent, cærulea poſtmodum tunica reueſtierunt, ſicque in conſpectu omnium & ante omnes in Paſſionis ſuæ Proceſſione cruce onuſtum incedentem ad Caluariæ montem deduxerunt. Et quāuis præ omnibus plane creaturis ſolus ipſe hanc dignitatem Rectoris apiſtus merito ſit, ob eamque cauſam Sancta Eccleſia pulchre ei accinat: *Rector potens, verax DEVS, qui temperas rerum vices*; & in capite decimo tertio HESTHER dicatur; *Cum inuocaſſet omnium Rectorem & Sal-*

*natorem Deum*: Nihilominus tamē etiam quatenus Homo omnium supradictarū Facultatū & Collegij studiosorum suffragio laudatissimæ huius Vniuersitatis Rector fuit salutatus. Nam etsi secundū naturam humanam non omnibus maior excellentiorque sit, sicque patre suo minor: attamen secundum Diuinitatem similis plane illi & æqualis est: & licet ob naturam passibilem Angelis inferior sit, eosdem nihilominus gratia & gloria lōgissimè antecellit; quippe cum ille Filius Dei sit, isti autem serui tantum ac Internuntij. Hac ergo etiam ratione hominibus in dolorosa sua passione per reputationem æstimationemq; minor est; sicut Esaias inquit: *Reputauimus eum nouissimum omnium virorum*. Et ipse per Psalmistam attestatur dicens: *Ego vermis & non homo, opprobrium hominum & despectio plebis*. At nihilo minus omnium nostrū Rector & Magister est, & ideo reuerentiam illi exhibere debemus; prout S. Paulus ad Philipp. 2. ait: *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, propter quod & Deus exaltauit illum & donauit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu flectatur omne genu cælestium, terrestrium, & infernorum*. De hoc Rectore Psalmista

ait:

ait: *Dominus regit me & nihil mihi deer* .
Et cur omnino Rector ille noster non sit,
qui nos per sapientiam suam non aliter
quam Dux cæcum solet regit ac ducit?
Vnde D. Paulus ad Romanos ex Isaia
ait: *Erit radix Iesse, & qui exurget regere,
gentes in eum sperabunt.* Porro Rector iste
perpetuus est, præfecturamque suam nō
ad singulos tres menses, quemadmodum
reliqui consueuerunt, deponit. Regnat videlicet
ille sine fine & termino, ac ita regnat
æque vt Gallis, Italis, Hispanis, Germanis,
Aphricanis & reliquis nationibus
faueat; *In Christo Iesu non est masculus &
fœmina, seruus & liber, Barbarus & Scytha,
Iudæus aut Græcus.* Sigillum autē quo
Rector ille Noster literas suas & priuilegia
quæ Sapientiæ studiosis concedit atque
impertit, Crux & stigmata illius sunt:
quæ diligens & Sanctus vniuersitatis huius
Auditor S. Paulus gerebat, dicens:
*Ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.*
Hoc sigillum omnium deuotorum
Christianorum mollibus cordibus animisque
imprimitur, qui non aliter quam
cera ad ignem colliquescunt & fluunt: insculpentes
memoriæ suæ mortem & passionem
seruatoris Nostri Iesu. Absque
hoc sigillo literæ nostræ authenticæ esse
non

non possunt; eoque destituti iurati Christi Discipuli audire salutarique non meremur: quemadmodum illemet in Euangelio adstipulatur dicens: *Qui non tollit Crucem suam & non sequitur me, non potest meus esse Discipulus* Hoc etiam sigillo literæ Euangelicæ signatæ sunt; in cuius signum Diaconus id legens Crucem in illo efformat. Hoc sigillum ceræ miniatę imprimitur, quæ purpureum seruatoris Nostri sanguinem repræsentat, & amorem quo erga eum ferri debemus significat: color enim purpureus ac rubicundus calidam ardentemque complexionem denotat. Et quid omnino apertius Christi amorem testari potuit, quam Crux pretiosissimo illius sanguine perfusa & irrigata? hinc enim in Canticis sponsam suam compellat dicens: *Pone me vt signaculum super cor tuum*, amando videlicet me perfecte atque ex animo: quæ enim medullitus diligimus, ea cordi imponere fere solemus. Ferebat hoc sigillum Angelus ille apud Ezechielem cap. 8. vbi dicitur: *Et gloria Domini Israel assumpta est de Cherub, quæ erat super eum ad limen domus: & vocauit virum qui indutus erat lineis, & atramentarium scriptoris habebat in lumbis suis. Et dixit Dominus ad eum, Transi per me-*

*diam ciuitatem, in medio Ierusalem: & signa Thau super frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius. Et illis dixit audiente me, Transite per ciuitatem sequentes eum & percutite: non parcat oculus vester, neque misereamini. Omnem autem super quem videritis Thau non occidite, & à Sanctuario meo incipite.* Cui nō absimile est quod Apocalypseos cap. 7. legitur: *Et vidi alterū angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum DEI viui: & clamauit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ & mari, dicens. Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.* Vnde intelligimus Crucem Seruatoris Nostri signum esse, quo bonus ille Pastor bonas & dilectas suas ouiculas distinguit: & notam quam archetypis suis imprimit, quæ aliquando in celesti abaco collocaturus est. O felices igitur ac beatos qui sigillum istud integre cordi suo impresserint! Fieri reuera non poterit, quin omnibus debetis soluti sint, & æs alienum per peccatum contractum expunxisse deprehendantur. Non habebunt in eo quidquam iuris creditores sui, quia nominibus satisfecit:

neque

neque etiam iustitia eum apprehendet, quia literas sigillo isto munitas demonstrabit. Deniq; certus erit de opimo gloriæ sempiternæ beneficio, quia sufficiēs, idoneus, & acceptus est. Vnde pulchre omnino D. Anselmus in libro de Mensura Crucis inquit. Crux nomen suum inde habet, quod Cruciatus & dolores adferat. O Domine meus & Deus meus, si dicerem seruitium illud quod tibi præstare debemus Crucem ærumnamque nostram esse, errarem vtiq; & halluzinarer cum illis, qui iugum tuum suaue & onus tuum leue esse ignorant. Habet hęc Crux longitudinem, habet latitudinem, altitudinem, & profunditatem, quemadmodum antea demostrauimus. Altitudo illius ad cælum vsque pertingit quod per eam reseratum patefactumq; nobis fuit. Profunditas Infernum tangit, è quo per illam liberati sumus. Latitudo per virtutem suam quaqua versum ad omnes gētes populosque protenditur. Longitudo infinita est, terminum nō habet, & limitibus circumscribi non potest: meritum enim Crucis & Passionis Christi infinitum est, & ad infinita peccata expūgenda aut innumerabiles mundos saluandos sufficit. Ecce mensuram, ecce vastitatem,

ecce magnitudinem ſigilli Redemptoris noſtri! Cui ne quid etiam ad ſummā magnificentiam & ſplendorem deeſſe videretur, circum circa titulus illius Latine, Græce, & Hæbraice ſcriptus fuit. IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM; quemadmodum videlicet Magnatum ac Ducum ſigillis nomina eorum & tituli communiter apponi conſueuerunt. Caue proinde deuota Chriſtiana anima ne vnquam ſigillum iſtud tuum amittas, ſed in ſcrinio cordis tui id aſſerua, quod tibi ſuper fonte Baptiſmatis à ſupremo Sigillifero ſpiritu S. tunc impreſſum fuit, quando ſigno Crucis frons tua munita tibi fuit. Hoc ſigillo literis, epiſtolis, precibuſque noſtris quas ad cæleſtem aulam mittemus appenſo, impoſſibile plane eſt, eæ vt non legantur, approbentur, & exaudiantur. Amen.

COLLE-

# COLLEGII SAPIENTIAE AEDIFICATI IN VNIVERSITATE VIRTVTIS.

## PARS ALTERA.

### *QVOMODO MARIA MAGDAlena in Collegio Sapientiæ sub celeberrimo Doctore Iesu Christo studere inceperit.*

### CAPVT XIV.

DIuus Thomas Part.1.Sum Theolog. quæst.1.art.1.luculenter ostendit ad humani generis salutem procurandam necessarium plane fuisse, aliquam vt de Deo doctrinam acciperemus, quam nos hodie recepto vocabulo Theologiam, id est, scientiam aut sermonem Dei solemus appellare. Cum enim homo propter Deum velut vltimum & supernaturalem suum finem creatus sit, qui omnem humani ingenij captum superat atque transcendit; planeq; etiam necessarium sit finem suum cognoscere ac exploratũ habere eum, qui propter illũ acturus operaturusq; est: Illud profecto etiã consequitur hominem vt salutẽ adipisceretur Dei sui ac factorum illius cognitionem habere debuisse. Vnde sicut veteres illi gal-

lorum

lorum Sacerdotes, qui Druydes vulgo audiebant, doctrinā qua discipulos suos imbuebant scriptis excipi & libris publicari prohibebant: ne videlicet illa ad imperitos etiā perueniret: ita è contra Seruator Noster Iesus vera illa sapientia doctrinam suam à iuratis Notarijs ac Euangelistis excipi voluit vniuerso vt hominum generi communicaretur; Hinc Samaritanam Discipulam habuit, & Christū se esse illi declarauit: Hinc Mariā Magdalenam ad lectiones suas admisit, quæ simul ac admirabilem illius sapientiam ab omnibus passim extolli audiuisset, & sancta sciendi discendiq; curiositate illecta, non contenta fuit Scholam Naturę cum Philosophis frequētauisse, vel cū Rabbinis lectiones Mosaycas audiuisse, sed etiā Deo inspirāte, verā æterni Patris sapiētiā audiendum sibi esse existimauit. Nec immerito: Pręstat.n. Solis quam stellarū lumine præuio incedere, fontē, quā riuulū bibere, Ludimagistro, quā Condiscipulis auscultare, & authographa quam copias volutare. Et vide quā id præclare Mariam Magdalenam non fugerit de qua S. Lucas cap. 7. ait: *Ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quod IESVS accubuit in domo Pharisæi, attulit alabas-*

*alabastrum vnguenti: Et stans retro secus pedes eius lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius & vnguento vngebat eos.* Quibus verbis Euangelista tempus pariter & locum conuersionis Mariæ significat: vt videlicet Seruatoris & Pręceptoris nostri clementiam intelligamus, neminem qui plane mortalium etsi turpissimum sicut Maria Magdalena erat à schola sua arcere vult ac submouere. Verum quid amabo illam excitauit, quid illexit, quid instigauit? quis adeo sapienter illi cōsuluit? An enim admirationē non habeat, quid mulier cor excæcata, à septem diabolis seu peccatis obsessa, grauissimo iniquitatum pondere oppressa, & denique famosa meretrix, ad Iesum accurrit salutem suam procuratura, & diuinæ misericordiæ fonti aduoluitur, vitiorum suorum sordes ablutura? Et quomodo illa adeo expedite ad eum accurrere potuit, quæ paulo ante innumeris peccatorum vinculis irretita, Diaboli captiua, & fœdissimarum libidinum mancipium erat? Dubitari reuera non potest, Christum illam attraxisse, & quadruplici fune ad se rapuisse: videlicet gratissimo suo intuitu, potentissima virtute, inspiratione interna, & de-

& denique externa conuerſatione. De vultu enim dulciſſimoque illius aſpectu quis hæreat?Conſtat certe ex D.Hieronymo admirabilem quendam ſplendorem ab eo proceſſiſſe, qui obſtinatos peccatores perterrefaciebat, alios autem ſuauiſſime afficiebat.Hic S.Petrum periuriũ ſuum lamentari fecit , hic ei lachrymas excuſſit,hic ad pœnitentiam illum reuocauit.Hic adeo pulcher amabiliſque eſt, ipſi vt eum Angeli intueri cupiant & cõtemplari.Vnde Pſalmographus de eo canit:*Speciosus forma præ filijs hominũ.* Et nos nõ inepte de eo dicere poſſum⁹ q̃d olim Regina Heſter Aſſuero Imperatori dixiſſe perhibetur:*Valde admirabilis es Domine, & facies tua plena gratiarum.* Quin ipſe etiam ſatis aperte id demonſtrauit cum ait: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis &c. Multi enim Reges & Prophetæ voluerunt videre & non viderunt.* Et miramur adhuc, quod Magdalena gratiſſimo Ieſu Chriſti intuitu adeo mirabiliter percuſſa fuit, plane vt impelleretur vbiuis eum quærere & alicubi inuenire? Alter funiculus quo attracta irretitaq; fuiſſe dicebatur; infinita Domini noſtri poteſtas eſt, qua ille non aliter quam electrum paleas ſolet, animum peccatricis à terrenis voluptatibus

ptatibus

ptatibus auulsit atque abstraxit. Etenim si Magneti hanc vim à natura concessam esse non ignoramus, occulta vt quadam sympathia ferrum ad se trahat: quanto iustius Iesus Christus qui Deus omnipotens est ac fuit, ferreum Mariæ Magdalenæ pectus flectere potuit & ad se rapere? præterquam quod ipse in Euangelio id attestatur dicēs: *Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum:* Et anima in Canticis ita cū compellat: *Trahe me post te.* Tertium vinculum quo Magdalena attracta fuit, interna Redemptoris sui inspiratio erat: audiuerat enim illa vocem Magistri sui nec contradixit; persenserat fistulam pastoris erronea ouicula, & cōfestim ad eum reuersa fuit. Vnde apposite D. Gregorius ait: Fratres mei miremur Christum qui Mariam recepit, aut certe Mariam quæ ad Iesum accedere non dubitauit. Quid enim potius dicā? An quod recepta, an quod attracta fuit? vtrumque opinor. Quomodo enim is veniam illi non faciat, quam antea adeo blande clementerque ad se inuitauit? quomodo gratiam non mereatur, quæ interna pœnitentia & compunctione attracta antea fuit? Quartus funiculus erat admirabilis odor & fragrantia conuersa-

tionis

tionis Iesu Christi, qui passim erga omnes facilem, clementem, benignumq; se demonstrabat, peccatores ac peccatrices misericordia sua dignabatur, & cũ ijs humiliter bibebat ac epulabatur? Quemadmodũ Iudæi illi id exprobrabant dicẽtes: *Hic peccatores recipit & manducat cum illis.* Et loquitur de gratissimo illo longeque fragrantissimo odore Domini nostri erga omnes benigni ac misericordis sponsa in Canticis sponsum compellans: *Curremus in odore vnguentorum tuorum.* O bone Iesu, ait D. Bern. sequemur nos reuera te in odore mansuetudinis tuæ, à qua laudatus commendatusq; es Cogitemus quod pauperẽ non despexeris, quod peccatores auersatus non fueris, quod supplicẽ Publicanũ è tẽplo non submoueris, quodq; Magdalenã lachrymantem & latronẽ in cruce confitentẽ susceperis. Reminiscamur Petri, quẽ peiurantẽ in gratiã accepisti: cogitemꝰ Cananæũ, quẽ exaudisti, recordemur Matthæi, quẽ inuitasti, & deniq; persecutoris Saul quẽ saluasti. Hæc nos agentes & animis volutantes nunquid in odore vnguentorũ tuorũ currimus? Et nunquid etiã hæc cũ Maria cogitaret, quatuor supradictis vinculis attracta fuit. Quã autẽ sagax & astuta ea fuit, dũ Iesum nõ corpore erecto stãtem

& veluti Magifter difcholum, peccatricē verberaturum acceffit, dum non fedentē inftar Iudicis pro tribunali fed difcumbentem & velut terræ vicinum compellandum fibi effe exiftimauit: quo videlicet familiarius & liberius cum eo colloqueretur, & è peccatorum cæno protraheretur? At aduerte aliud adhuc acumen & quoddam quafi ftratagema Mariæ Magdalenæ, quo facilius aditum fibi patefaceret munera fecum adfert: quippe quæ fciat obuijs eos vulnis excipi folere aliquid qui munufculorum fecum adferant & afportent. Inuitauerat ergo Chriftum Pharifæus magnifice eum excepturus; verum Magdalena haud aliquanto lautius & delicatius illum habet fternēdo illi menfam pœnitentiæ, apponendo ferculum compunctionis cum pane doloris & potu lachrymarum: atque etiam ne quid conuiuio fuo deeffet, adhibendo organa planctuum & gemituū, Chelim & Cytharam fufpiriorum, fiftulam eiulatuum, & innumera alia compunctionem fuam teftantia Mufica inftrumēta. O dulce epulum Marię Magdalenę? quę vt digne Magiftrum fuum exciperet, iucundiffimam fymphoniam adhibet, loco aquæ odores porrigit, & pro mantili capillos

offert.

offert. O discipulam non fælicis tantum ingenij sed etiam profectus! Itaque cum Gamaliel S. Paulum legem Mosaicā docuerit, ecce tibi Magdalena haud aliquāto sciendi discendique cupidior legem Diuinam cognitura, impletura, & perfectura, Iesum Magistrum eligit, huius pedibus aduoluitur, & hūc discētem audit. Assidet inquam illius pedibus, vt quę hactenus à via salutis aberrarat, deinceps Magistri sui passus & vestigia insequeretur. Sedet autem, nō ante sed post, quippe quæ ignem infernalem formidans, & gladium Diuinæ iustitiæ metuens, secure post istiusmodi scutū se latere posse existimabat; ac si diceret. Apprehende arma & scutum, & exurge in adiutorium mihi dic animæ meę salus tua ego sum succurrere mihi, O custos hominum adiuua me fefende me, & corporis tui obiecto clipeo Diuinæ Iustitiæ ensem retunde, hęc illa secrete & tacite proferens lachrymas vberrimas fundit; & pedes Domini lauat: mirari quilibet, stuperre, & rerum ordinem immutatum dicere. Nec immerito: quam enim à natura & consuetudine alienum nihil est, si pluuia in terrā decidat, tam istud vsui & naturæ ipsi contrarium est quod pluuia

ex terra in cælum labitur & ita labitur, ipsum vt solum irriget & humectet? Verum audiamus hic etiam quemadmodũ eosdẽ pedes quos lachrymis lauit capillis etiam suis deterserit dicens; O maledictum os meum, quot tu impudica oscula fixisti, quot scurrilia verba protulisti? in tot tantorumq; malorũ satisfactionẽ Deo tuo inserui, Magistrũ osculatura & illius benedictos pedes amplexatura te met inclina. O fælices pedes seruatoris mei qui Redemptorẽ meũ sustinetis: apud vos ego plenam peccatorũ veniã & delictorũ remissionẽ consecutura non sum? ô Domine mi intuere me miseram ignosce mihi secundũ magnã tuã misericordiã, & pro tua multitudine miserationũ tuarũ innumera peccata mihi ignosce. O brachia mea, amplectimini iã nũc seruatoris mei, pedes, quę hactenus Męchos & fornicatores fuistis amplexata, plorate oculi mei qui hactenus lasciuis & impudicis obtutibus incautos perdidistis: necessariũ enim est lachrymarũ aliquod diluuium oboriri, quod tot tamq; grauia peccata eluere possit ac expiare. O Christiani, quis Magdalenam ad hunc modũ lachrymantem plangentem, & lamentantem audiens cum ea in lachrymas non dis-

solua-

ſoluatur? Plorabat enim illa non defun-ctum aliquem amicorum aut obitum cuiuſpiam ex numero neceſſariorũ, ſed deplorabat mortem animæ ſuæ, omnibus ſupplicijs & mortis generibus formidoloſiorem. Itaque ſi hoc labente anno hic Pariſijs comædia Magdalenæ pœnitentis coram vniuerſis aulæ proceribus exhibita nemini nõ lachrymas excuſſit: quomodo nos eas continere poterimus, videntes in ſpiritu Sanctam iſtam peccatricem, ex protocollo Spiritus S. ſe accuſantem; & acerbiſſime anteactæ vitæ ſordes deplorantem; ſatisfecit tunc illa nemini ſuo MARIA quod interpretatur mare, mare inquam dolorum, fletuum & lachrymarum. O anima mea quam diu male agendi viam inſiſtimus, cur non potius ad ſummum noſtrum bonũ conuertimur, IESV Chriſti ſcholam frequentamus? ò dulcis IESV obſecro te per miſericordiam tuam recipe me ad te confugientem, & in ſchola tua locum quamuis infimum mihi aſſigna. Domine ad te Confugi doce me facere voluntatem tuam. His & ſimilibus verbis cum aliquamdiu importune & pertinaciter Magiſtrũ ſuum appellauiſſet,

tandem ab eo in gratiam recipi, & quomodo Deum amare deberet promeruit. murmurante autem Pharisæo propter aculeum quem in corde Magdalenæ reliquerat, ad eundem sic cōuersus ait, duo debitores erant cuidam fæneratori: vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta; non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque: quis ergo eū plus diligit? Respondens Simon dixit, æstimo quia cui plus donauit: at ille dixit ei, rectè iudicasti. quibus verbis Saluator noster primam lectionem gratitudinis omnibus suis discipulis fideliter memoriæ infigendam complexus fuit, nec immerito. Quantum enim amabo beneficium hoc erat olidum sterquilinium in preciosissimum balsamum, densissimas crassissimasq; tenebras in meridianā lucem & denique contumeliæ vas in Cristallum commutari, cui postea Diuinæ gratiæ balsamum infusum fuit; quemadmodum Ecclesia canit: post fluxæ carnis scandala fit ex lebete phiala in vas translata gloriæ de vase contumeliæ; & sicut S. Paulus ad Romanos prædixit scribens: vbi abundauit delictum superabundauit gratia.

## DE PRIMIS SCHOLIS QVAE *Mariam Magdalenam perdiderunt.*

## CAPVT XV.

QVemadmodum filijs Israel ex seruitute Aegyptiaca ad sacrificandū in deserta transmigrantibus mare rubrū miraculose cessit ac insecutum fuit; vnde Psalmista ait, quid est tibi mare quod fugisti & tu Iordanis quia conuersus es retrorsum? Ita Maria Magdalena ex longa diuturnaque Diaboli & peccatorum seruitute liberata tantum in se contritionis spiritum excitauit, vt nō male lachrymarum quoddam mare eam insecutū fuisse videatur. ac sicut etiam cum Moyses virga sua petram perčuteret, aqua ex illa cōfestim promanauit; dicente Psalmista: *qui conuertit petram in stagna aquarum & rupem in fontes aquarū.* Ita horridū illud & instar petræ durum cor Magdalenæ semel tantum timore Diuinorum iudiciorum percussum continuo copiosissimum lachrymarum fontem effudit: deplorans quod pessimè tempus suū hactenus collocasset, in schola mundi, Diaboli, &

carnis mundana, carnalis: & peccatrix effecta nullũ nõ flagitiorũ genus admittere dubitauisset, quemadmodum id Euãgelista Luc c.7. significat cũ ait: *erat mulier in ciuitate peccatrix.* Nõ quod meretriciũ aliquod collegiũ aperuerit, aut inter sordida olidaque scorta corporis quæstũ fecerit, sed quod domum suam vt scholam superbiæ habuerit & vanitatis: imitata in hoc adolescentes, qui secundũ Aristolẽ moralis sciẽtiæ quæ bene viuendi præcepta subministrat, propter effrænes passiones & dissolutas affectiones auditores esse nõ possũt. Horũ præses ad omnẽ luxuriã libidinesq; abiecta Iezabel illa est de qua S Ioan. ca.2. Apoc. ait: *Et angelo Thyatiræ scribe, habeo aduersus te pauca: quia permittis mulierem Iezabel, quæ se dicit Phrophetin, docere, seducere seruos meos, & fornicari.* Et funguntur sub hac infami Iezabel prçcipuis officijs anus illę ac vetulę quę falsis verborũ suorũ illecebris incautas adolescẽtulas miserrime circũueniũt. Vt enim viridia adhuc ligna nõ difficulter flammã concipiunt si cũ aridis collocentur, ita Diabolus, per effætas illas mulierculas in iuuencularũ animis cõcupiscẽtiæ ignẽ excitare consueuit; Harũ nãq; officium est vt quales ipse sũt tales quoq; alias

alias efficiant. Porrò qua fraude & quib⁹ artibus Magdalena seducta fuerit, id vero ex Euãgelista multo quã facillime liquet: studendo videlicet in ludo carnalitatis, addicendo se mũdo muliebri, & voluptatibus ac libidinibus obsecũdando. Vnde etiã pręclare luxurię turpidinẽ infamiãq; perspicimus quæ sibi obnoxios adeo miseros & cõtemptos facit, quęq; Thesaurũ omnibus nobiliorẽ bonã inquam famam cõspurcat ac inquinat. O filiã Babylonis infælicẽ! O mulierẽ maledictã & infamia ac confusione plenam! ædificas tu reuera infernum propter stultum carnis tuæ ac tuiipsius amorem, & vsq; ad contemptũ Dei & Diuinę legis preuaricationem. Docet enim maledictum illud prostibulum Iezabel, in schola sua, hoc est mundanitatis & carnalitatis, nõ tantũ fornicarĩ sicut Magdalenã, sed etiã lasciue ac muliebriter se comere in ruinam incautorũ & naufragiũ adolescentulorũ. Hęc autem præcepta & documenta quã obsecro exulcerato isto nostro sęculo vulgata & vsitata sunt! quod tu hodierna tẽpestate filios ac filias discipulos & discipulas Iezabelis illius inuenies, quas si à capite vsq; ad calcem intuearis nihil reuera aliud quã vanitates vanitatibus accumulatas deprætendes.

Harum capita ceu idola Phalerata sunt, alata brachia, quorum remigio in infernum auehi possint & auolare. Adhibent odoramenta quia fætoris consciæ sibi sunt, catenas aureas portant, non aliter quam rabidi canes illis vinciendæ & alligandæ. adhibent deinde monilia & murenulas imò (vt recepto apud nos vocabulo vtar *Pater noster*) nō deuotionis aut pietatis, sed superbiæ & vanitatis ergo. Omnia autem isthæc tam pretiosa & exquisita ornamenta licita adhuc & fortassis concessa non nemini videri possent, nisi adeò diligenter & accurate scriptura sacra significaret diuitem Epulonem istiusmodi vestimentis amictum apud inferos sepultum defossumq; fuisse. O mundanæ & plenæ vanitatis mulieres, quid catenæ illæ quid torques, quid monilia, quid murrenulæ aliud significant, quam Diabolum illis vos vinxisse & illigauisse? vosque O matresfamilias capita & capillum horribilem sæpe in modum efformantes, frontemque & verticem à bestijs emendicatis pilis extruentes, illud mihi paulisper cogitate, quod in vetere Paræmia est, plumas ipsa aue nobiliores ac præstantiores esse: cogitate superfluorum habituum numerum iniri nō posse,

illud-

illudque adeo corpus, quod auro premitis, gemmis distinguitis, & purpura amicitis, à turpissimis aliquando vermibus comestum iri. quò autem vos precio aut quomodo tot vestes coemitis & ornamẽta? O miseros, ô obcæcatos! ô insensatos! quot amabo tu hodie mulieres, quot viros te reperturum esse putas, qui non præter status & conditionis suæ rationes se vestiant, ornent, & comant? Itaque si Patres, si aui nostri rudi aliquo bardocucullo vsi sunt, nos hodie serico, & purpura nisi vestiamur viles repente nobis contemptique esse videmur; vnde quid quæso aliud consequitur quam iter illud ad infernum indies magis tritum effici? O infelicem mundanorum amentiam! O deliram vanissimorum hominum superbiam, O miseras & deploratas animas, quę pro istiusmodi crepundijs cælum vẽdere & infernum mercari non reformidant! Neque vero pomparum ille fastus Consuetudine & vsu tãtum continetur: ludi superbiæ & vanitatum scholæ circũquaque aperiuntur: dum Mater filiam, hera ancillam in comitatum deducere velle negat, nisi bene ornatas, comptas, & expolitas. Itaque si quando peculium Domesticum deficit & propter nimios sum-

ptus eos familiaris accisa digitum sustulerit, tum vero aut furari aut desperare necessum est. O tumidos ac insolentes moriones! vobis ergo non sufficit vestrarũ animarũ iacturã facere, nisi aliorũ etiã in ruinã impellatis? satis vobis erat proprijs peccatorũ sarcinis grauari, alienis premi quid opus erat? circumspicite mihi obsecro paululũ, & quid agatis adhibita in consilium ratione mature sapienterq; expēdite, cogitate de remedijs cōuertimini cũ Magdalena, omnēq; illũ mũdũ muliebrē & sumptuosarũ vestiũ apparatum deponite. Verũ ego dimissis istis pauculas rationes adducã; quibus perspectis illud etiã liquido intelligatur egregie deliros amentesq; omnes illos esse, qui tantũ in corpore, & pręcipuè in capite ornando & comendo occupantur. Prima est quod omnis illa vana vestiũ ostētatio Diaboli quoddã vexillũ est, qui id in supremũ vrbis suæ turrim effert facile vt ex eo intelligi possit cui⁹ imperio pareat subiectaq; sit. Vnde sicut principem aliquē vehemēter admodũ cōmoueri necesse est, si sublato suo vexillo hostile contra in ditione sua ab amicorum suorũ, vti quidē ipse rebatur, intimo & integerrimo erectũ conspicitur: quid tu putas Deũ facturũ esse,

ſi in ſummitate ciuitatis ſuę id eſt in capite mulieris vanitatē & ſuperbiā quæ vera Diaboli vexilla ſunt cōſpiciat: indeq; humilis pęnitētiæ ſignū quod in baptiſmo, confirmatione, & extrema vnctione imprimitur ſublatum videat? Reuera ſicut apud Ezechielem cap. 9. literā Tau in gementiū & dolentiū frontibus ſcriptū fuiſſe inuenimus: Ita è contra plena vanitatis ſuperbięq; Mulier ſignū ſalutis expungit & in huius locū vexillū cōdemnationis capiti ſuo imponit. Secūda ratio propter quam ſuperflua illa veſtimenta deteſtanda videantur, Ieſu Chriſti contemptus eſt. Vt enim is inſignē infamię notā ſibi ſuiſq; omnibus inureret, qui parentis ſui funus egregie comptus & exornatus comitaretur: Ita reuera haud aliquanto deteſtabilior ille eſt, qui ad Eccleſiā Miſſæ ſolemnia auditurus inſtar pauonis variegatis veſtibus concedit. Nam quid tu aliud incruentū illud ſacrificiū eſſe arbitraris, niſi Parentis tui Chriſti exequias quaſdam, ſeu mortuale ſacrum in mortis illius memoriam inſtitutum! Itaque cum etiam ſacerdos Hoſtiam eleuat, quam ob cauſam id amabo facit, niſi vt nos Chriſti in cruce eleuati & morientis reminiſcamur? Cogitate mihi pauliſper

vos deliræ & infames mulierculæ quæ tanta lapidum preciosorum multitudine capita premitis, cogitate inquam caput illud, quod sicut angeli honorant ac reuerentur, ita crudelibus transfossum spinis merito vos à vanitatibus illis abstinere deberet. O misera, ô insensata mulier, tu caput tuum auro gemmisque ornas, & Iesus Christus Redemptor tuus suum crudelibus spinis tegi patitur & coronari? tu capillos tuos fucatos, pexos & exornatos circumspicis: huius preciosa Cæsaries Virginali sanguine concreta congelataque est? Ipsa facies Iesu Christi propter peccata tua sanguine, liuore, & sputis defædata est: tuaque è contra colorata, picta, instarque speculi ad speculũ relucens? huius oculi adeò pulchri ipsi vt eos Angeli contemplari desiderent, propter mortis angustias decolorati sunt: & tui superbia, luxuria, & fornicatione scintillant. Sacratissimum Iesu Christi caput quod Angeli in honore reuerentiaque habent pro te pendulum est: & tuum ceruini instar contra illum elatum? Inclinat ille os ad frontem osculo te suo excepturus: & tu cuspidibus aureis armata bellũ illi intentas, & alijs scandalum præbere non dubitas? Ille te, vt gratiam suam obtineas,

tineas, ad gemitus & ploratus vocat: & tu falsa tua vanitate ludibrio è contra illum habes? Agnosce tandem superba illa sumptuosaque tua vestimenta muliebris dementiæ signa & testimonia esse: vt enim ex fumo & scintillis per fumibula emicãtibus certo certius intelligimus ignem illic esse; ita omnis ille muliebriũ capitum & ornamentorum fumus quid aliud significat quam in ipso cordis foco & camino luculentum admodum luxuriæ & carnalitatis ignem excitatum esse? Ait Ecclesiasticus capite quinto, libidinẽ & fornicationem ex gestibus & dissolutis aspectibus elucere; at aiunt nostræ mulierculæ verum id non esse, multa enim vestimentorum genera & intuitus etiam sese adhibere, qui tamen nihil minus quam impudicitiam, sed castitatem & honestatem spectent. Verum his ego respondeo: si castæ si honestæ haberi vultis, quid tot tamq; frequentia luxurię & carnalitatis signa adhibere necessum est? tolle mihi signum luxuriæ, & cessabit iudicium carnalitatis. Si vinum non promis quid domui hæderam præfigere necesse est? ergo potius gestibus & exẽplis quam verbis vestris credituri nos non sumus? scimus præclare verba pudi-

citiam prætendere; at ſcimus etiam opera &exempla ad nihil aliud quam ad carnalitatem inuitare. Vt enim aucupes noctuam ſæpe vel bubonē virgæ fiſcatę imponunt, cuius inſolito aſpectu illectæ aues dum ſpectare volunt incautæ capiūtur: ita Diabolus qui noctu tantum circūvolitat Adoleſcentulos capturus in cōpta iſtiuſmodi aliqua Cleopatra videri ſpectariq; ſe ſinit, vt dum iuuentus Diabolum quem nunquam vidit propius intueri geſtit, hac ratione miſerrime fallatur & decipiatur. Denique quid tales mulieres aliud ſunt, quam quædam retia Dæmonis, qui incidentes in ea prædas crudeliter in inferno aliquando deuorabit? O quoties tunc adoleſcentes illi improbe tranſactas horas maledicent, niſi iam nunc pœnitentiam faciant? quam vero etiam comptæ illæ & ornatæ mulierculæ ex carnificabūtur, niſi eoſdem in præſenti vita ædificare incipiant quos ſcandalizauerunt, & quibus male agēdi, loquendi, agendiq; occaſionem præbuerunt; & niſi animam omnifariam peccatis commaculatam virtutibus comant & ornent? O ingentē illarum numerū, quæ de nullo minus quam de remedijs iſtis cogitant, & diuinę Iuſtitiæ & timoris totaliter

taliter obliuiſcuntur? O deliræ anus quæ totum vitę veſtrę tempus turpiſſimis voluptatibus traduxiſtis, quem obſecro iā nunc fructum niſi dedecus & infamiam reportatis? & quid poſt hanc aliud niſi mortē ſempiternam expectare poteſtis? peribitis mihi credite peribitis, niſi confeſtim in melius vos referatis, & humilitatis regulæ quam in fonte baptiſmatis omnibus pompis & vanitatibus renunciantes iurauiſtis, vos conformetis. Sequimini oro Prophetę Ieremię conſiliū, qui cap. 7. in perſona Dei ſic loquitur: *Bonas facite vias veſtras, & ſtudia veſtra, & habitabo vobiſcum* profugite ex ſcholis vanitatis cū Magdalena, & veritatē audite; huius diſcipulę & imitatrices eſtote.

## *DE IIS QVAE MAGDALEnam ad Ieſu Chriſti ſcholam tranſfugientem impedire retinereq; conata fuerunt.*

## CAPVT XVI.

POſtquā eo quo diximus modo Magdalena ex vanitatis ſchola transfugiens veritatis ludū litterarium frequentare incepiſſet, quidā opus fælicibus pro-

greſſibus inuidentes ad vetus illam viuē-di inſtitutum retrahere & ad Diabolicas rurſum ſcholas reuocare conati ſunt; quos tamen illa nullo negotio repulit cū Pſalmiſta dicens: *Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem, quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei:* adeo vt omnes conuerſionis illius æmuli qui eam ad antiquam ſyluam adducere conabantur, re infecta diſcedere coacti fuerint. Neque enim dubitari poteſt Magdalenam à conuerſionis ſuæ tempore multifariā tentatam fuiſſe, vt ad priſtinas peccatorum ſordes in ijs voluratura reuerteretur. Et notum eſt Eccleſiaſtici illud capite ſecundo: *Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia & in timore; & præpara animā tuam ad tentationem.* Verum enimuero ſicut Pharao filios Iſrael cum iam è ditione ſua exceſſiſſent perſecutus fuit, quò nimirum illos ad captiuitatis terram reduceret & à ſacrificio DEI abſtineret: ita Diabolus omnē mouet lapidem eos vt recipiat qui ſemel ſe ipſius vnguibus ſubduxerunt & ſuffurati ſunt. Et quia eques aliquis inſignem nomini ſuo infamiæ notam inureret, ſi primæ hoſtium impreſſioni cedens tergum aduerſario obuerteret; ideo ſcriptura ait: *Fili accidens ad*

*ſerui-*

*seruitutem* D E I *&c.* Et postea: *sta in iustitia & in timore*: omnis enim qui expeditionem seu castellum sine Domini sui permissu, vel non ante presidio illius imploraro, hostibus dedit, proditor & iniustus existimatur. Vnde praeclare intelligimus Deum inuocandum nobis esse, & cum Psalmista dicendum: *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina.* Cur autem scriptura dicat, *sta in timore*, haec causa est: quia videlicet qui hostem & aduersarium suum metuit, cōtra illius insidias & impressiones se munit. Ita in bello spirituali quod continuo contra Mundum, Diabolum, & carnem gerimus, faciēdum nobis est; dicente Ecclesiastico cap. 17. *Nisi tenueris te in timore Domini, cito subuertetur Domus tua* Et pergit scriptura, *praepara animam tuā ad tentationem*, Vbi nota quod non corporis sed animae mentio fiat, hanc enim Diabolus persequitur, huic omnia Machinamenta, pluteos, catapultas, & vineas admouet: operę pretium igitur imò necessarium est assidue speculas obsidere, hostem aduenientem eminus obseruare & diligētes excubias agere. Vti enim Tobias ille Iunior simulac loturus aquā accessit, piscis eum deglutire voluit: Ita

pecca-

peccatorem pœnitentiæ aquas accedentē Diabolus plerumq; præuenit, & à cæpto retrahere satagit & abstinere: Ad eundem modum Laban Iacob persequebatur cum se fugeret: sicut Diabolus è seruitute sua & peccatorum iugo exemptis inhiat & instat. Imò sicut Apocalypseos 12. draco mulierem quæ filium enixa erat vsque ad desertū persequebatur: similiter infernalis ille draco Diabolus animas nostras quæ bonum aliquod opus parturiunt aut pepererunt tentationibus suis affligit atque persequitur: De quibus quoniam & te, ô deuota anima, non leuem aut rudem aliquam cognitionem habere operæpretium est, & verò quia in hoc mūdo nihil illis frequentius reperitur: facile omnino adducor, aliquid vt de ijs mihi in præsentiarum dicēdum esse videatur. Principio itaque quatuor ferè res circa tentationes veniunt cōsiderandæ. Prima est ipse inimicus qui nos tentat: secunda modus quo nos tentat: tertia methodus qua tentatio superanda: quarta vtilitas & fructus tentationum superatarum. Ad primum ergo quod attinet aduersarium videlicet qui tētationibus nos suis adoritur de eo apud D. Paulum ad Ephesios 6. hæc fere le-

gimus

gimus: *Nō est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores, tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus.* Quibus verbis Apostolus Diabolos depingit, qui trifariam fere tentationibus nos suis aggredi & adoriri consueuerunt: Incedentes primum turmatim, colligentes iustum exercitum, & firmam validamq́; aciem extruentes, quò facilius gradu nos dimouere & campo pellere possint. Ideo enim Apostolus pluralem numerum adhibet: dicens, Non contra carnē & sanguinem, sed aduersus principes & potestates ac tenebrarum rectores rem nobis esse. Iesu bone quantū hoc luporum est contra vnam ouiculam cōgregare, quantum hoc est militum & exercitatorum stipendiariorū male munitę ciuitati adhibere! Secundo aduersarij nostri fortes ac potentes sunt, nos autem debiles & infirmi: & ideo S. Paulus ait, *Aduersus principes & potestates.* Et facit cum hoc Beatus Iob dicens: *Non est potestas quæ comparetur ei.* Tertio hostes nostri inuisibiles sunt, Dicente Apostolo bellum nobis esse cum nequitijs spiritualibus: Et addit denique in cælo illos esse & in aere caliginoso obuersari, id est: illius

illius supremam, nos infimam Regionē occupare, illos supra, nos infra digladiari, non videri denique illos, & nos videri. Quem locum S. Thomas interpretatus, ait, astutiam & vafritiem inimici nostri postremis illis Apostoli verbis euidenter demonstrari: quò enim ille sublimiorem quantum ad naturæ perfectionem locū sortitus est, hoc reliquis astutior & versipellior est; Dicēte capite tertio Geneseos, serpentem reliqua animantia astutia prudentiaque superauisse. Quam etiam rationem Aristoteles secutus, hominem omnibus animalibus peiorem futurum esse dicit si malo serio se addixerit. Porrò secundum quod circa tentationes considerandum initio obuenerat, ipse tentandi modus est. De quo antequam aliquid in medium expromere incipio, quia iā nunc constat bellum nobis cum Diabolo esse, cum Cassiano collat. 21. præsuppono, insignem nobis ignominiæ maculā aspergi, hostemque adeò ipsum proterue & nequiter nobis insultare, si subinde victoria potiatur. Et adstipulatur huic vtriusque nostrum sententiæ Propheta Regius, quando in tentationibus suis Deum istiusmodi verbis compellat: *Illumina Domine oculos meos ne vnquam obdormiam*

*miam in morte, Nequādo dicat inimicus meus præualui aduersus eum.* Et alibi: *Qui tribulāt me exultabunt si motus fuero, ego autem in Misericordia tua speraui* Et iterū: *Deus meus ne super gaudeant mihi, ne dicant in cordibus suis, Euge Euge animæ nostræ, nec dicant, deuorabimus eū.* Quod si è contra tentationibus illius resistentes, victoriā referamus, tum verò ille egregie cōfunditur & quod ab homine terræ vermiculo superatus fuerit superbe indignatur. Hæc ergo Diabolus minimè ignorans mirabilia stratagemata adhibet, quò facilius quo & volet euadat, & ne re infecta cū ludibrio discedere compellatur. Hinc plerumque piscatores & aucupes imitatur, qui hamos & retia escis ac frumento tegunt, quibus postea incauti pisces & aues inescantur & capiuntur. Ita quoq; ipse sub peccati delectatione sempiternam mortem occulit, ad quam omnes illi obligati destinatiq; sunt, qui peccati hamum admorderint. Vnde Psalmista ait: *In via hac qua ambulabam absconderunt laqueum mihi.* Quin etiam interdum Mangones imitatur, qui sicuti pro auro orichalcum, pro argento stannum, & pro gemmis subinde vitra vendere consueuerunt: Ita ipse auaritiæ colorem prouidentiæ, crudeli-
tati

tati speciem iustitiæ, & persecutioni barbaræ zeli Christiani similitudinem inducens, vitia pro virtutibus nobis vendit. Neque vero in vitijs istis allegatis decipiendi illum modum tantum obseruat, sed in omnibus ferè peccatis flagitijsque vsurpat, dũ videlicet illis fallacem quampiam & vmbratilem virtutis imaginem inducit, & ne mala sub bonorũ prætextu cognoscantur allaborat. Itaq; interdum per superbiam nos tẽtans persuadere nititur Deum nos qui excelsus est imitaturos, & per ambitionem cælesti numini quod sempiterna gloria honoreque pollet similes effectos iri. Ait deinde Pigritiam & Desidiam Deum imitari, qui æterna quies est & laboris negotiorumque expers. Ita Prodigalitatem sub vmbra Diuinæ liberalitatis quæ omnia omnibus communicat protrudit, & Inscitiam simplicitatem Innocentiamque esse affirmat. Ita vindictæ auidum esse Deum imitari interpretatur, qui maleficos punit & iniustitiã vlciscitur. Ita luxuriã & improbas carnis delectationes suggesturus, modeste nobis insinuat in Deo omnem delectationẽ reperiri. Ita deniq; in omnibus peccatis quibus nos tentat, in angelũ lucis se transformat, & fictã virtutis vestẽ

mali-

malitia fulcit, quo videlicet fraudē non aduertētes facilius prçcipites agamur & transuersum à ratione impellamur. Quis autē singulas illi⁹ fraudes & stratagemata per partes inspicere valeat & explicare? Ego ne nihil hoc loco dixisse videar, vnā tantū inter malā periculosissimā & inter periculosas pessimam descripturus sum, quæ indutiarū ac pacis quandam speciem habet. Hac quoties nos aggreditur, tranquillitatem quandam adfert, & grauioribus & vt ita loquar perceptibilibus tētationibus nos eximens extra omnem inimici & telorum iactū cōstitutos nos esse, insinuat: qua quidem pace haud scio an quicquā periculosi⁹ magisq; pernitiosum possit inueniri. Primū .n. stultā quādā securitatē parit, ex qua illud deinde cō sequimur, vt timorē Dei seponamus qui electos suos protegit atq; defēdit. Ex hoc deinde malo aliud subnascitur, Negligētia puta & torpor: dūq; nos ita tutos satis securosq; existimātes cura & sollicitudine nihil opus esse opinamur, adest cōfestim hostis, & Dei, Fidei, Patiētiæ, & spei armis destitutos inueniēs crudeliter vulnerat ac cçdit: cadētes ex secūdo hoc malo in tertiū q̄d suijpsi⁹ & propriorū peccatorū ignorantia appellatur. Quā postea elatio & ꝑsūptio cōsequitur perquā adeo sāctos &

Deo nos charos esse arbitamur, ipse vt Diabolus tentationibus nos aggredi & adoriri reformidet: cum interim Diabolus quem nos longe abesse existimamus, ipsas portas occupat, pugnæ præludit, & commodum congrediendi inuadendiq; tempus aucupatur: proruentibus etiam nobis *ex* hac elatione in contemptũ proximi nostri, qui etsi centuplo nobis melior sit, vbi tamen eum grauis aliquanto tentari conspicamur impium eum & iniustum existimamus. Idem enim Deus qui debilibus & infirmis parcit, fortibus & magnanimis suis athletis diuersas tentationes immittit, vt gloriosum ab illis triumphum referant & victoriæ coronã reportent. Iam sicuti Reges castella & expeditiones, munitas inuadunt, & infirmas quæque facile occupari possunt relinquunt: sicut fortia cum debilibus congredi dedignantur: & sicut principes non subiectas pacatasque ciuitates, sed perduelles & nouis rebus studentes aggrediuntur: Ita Diabolus quã potest grauissimis tentationibus bonos oppugnat sibique parere nolentes inuadit. Et sicut Geneseos 14. de Sodomitis & Gomorhæis legimus, eos post duodecimum annum tributa persoluere negantes & defectio-

nem molientes graui bello & numeroso exercitu ab Elimitarum Rege Chodolaomore afflictos fuisse: ita peccator qui hactenus Diabolo pro voluptatibus peccati censum & quatruplex tributum, malarum cogitationum, malæ voluntatis, verborum improborum & iniustorum operum penderat, si pænitentiam agens nouis rebus studeat & ab imperio Diabolico defectionem moliatur, adest cõfestim Tyrannus Satan, exercitum conscribit, tympana pulsat, fidicines, tubicines, & tibicines colligit, ingentemque militum versutissimorum numerum cõtrahens, hoc vnice agit vt perduellem sibi subijciat, & tributa vetera ærario fiscoque suo accipiat. Vnde sicut nunquam tentationes experiri non semper bonum signum est: ita grauiter tentari non semper malum. Et sicut seruator Noster Iesus cum Baptismatis vnda ablutus in desertũ concessisset, à Satana tẽtatus fuit: Ita nos, ait D. Chrysostomus, postquam à baptismo aut pænitentiæ sacramento tentamur, facilem omnino coniecturam facere possumus thesaurum in nos collatum esse quem humani generis hostis auferre cupiat & compillare. Ne turberis itaque ò Christiane cum post pænitentiam ten-

tari te cognoſcis, accepiſti enim tunc à Deo ſpiritualia arma, ideſt virtutes ſuas: quæ tu nõ fruſtra, ſed vt ijs fortiter in hoſtem dimicares & victoriã reportares accepiſſe videri debes. Tertiũ eorũ quę circa tentationes ſpectaturi eramus, vincẽdi illas modus eſt, non vnus inquam ſed multiplex. præcipuus tamen ille, quẽ Seruator noſter in Euangelio nobis demonſtrauit, vt videlicet ſacrarum ſcripturarũ clypeo ignea & virulenta inimici noſtri tela depellamus. qui cũ nos tẽtatur⁹ Deo non ſeruiendũ eſſe ſuggeſſerit, illud confeſtim ei occlamare licebit, quod apud Euangeliſtam reperitur: *Dominum Deũ tuũ adorabis & illi ſoli ſeruies:* Aut illud ſi per ſuperbiã te adoriatur: *Quid ſuperbis terra & cinis?* ſi autem per auaritiã. Paulinũ iſtud: *habentes victum & amictũ his cõtenti ſimus.* Hoc itaq; ſi modo recte vſus fueris, vincet ſapientia malitiã, nullũq; adeò virus tentationis antiquus ille ſerpens contra te effundere poterit, aduerſus quod non aliquod inſigne antidotum & alexipharmacum ex ſcriptura ſacra eruere tibique propinare poſſis. Imò ſi nonnunquam ea extemplo ad manus nõ ſunt, illud ſaltem ad omnes Diaboli inſultus ei occinamus, quod Dominus noſter dicebat: *Vade Satana,* id eſt aduerſari: hic enim vnicus no-

ſter

ster hostis & capitalis inimicus est, qui omnifariam mortem ac perniciem nobis struere nunquam desistit. Et notandum comprimis in hoc loco fuerit tẽtationibus in principio statim pessulum obdendum obuiandumque esse; ne aduersarius cui puero adhuc & infanti pepercimus postea confirmatus iugulum nobis inuadat, & ignis cuius scintillas extinguere facile erat, ab ipso temporis spacio & mora incrementa capiens, totũ animarũ nostrarum ædificium depopuletur. Et consulit idipsum nobis S. Iacobus cum Ait: *Resistite Diabolo & fugiet à vobis*: id est, simulac pruna in vestimẽtum delapsa fuerit, reijcienda est, ne diutius illi adhærescens vniuersum concremet atq; comburat. Non cadamus ergo animo nec cõtrahamur cum Diabolus nos aggreditur, sed immundum peccati ferculum quod nobis in sordida & obscæna scutella repræsentat, in os & ad caput illi proijciamus, simulque sancta & religiosa ira exęstuãtes exclamemus, Apage sis scelerate hospes, discede infamis, aufer immundum isthoc epulum, & caue cæterum mihi amplius occurras. Secundus tentationes superãdi modus est, vt ex illis ipsis (quod de scorpionibus fertur) remediũ & pharmacum eliciamus, Cũ ergo Diabolus eo

quo diximus modo sub virtutum prętextu vitia nobis adfricare conabitur, simili eum fraude eludemus, & quod in prouerbio est artem arte repellemus. Ita si ad gloriæ aucupium te instigarit, tu confestim adhibita in cōsilium ratione quænam gloria tibi persequenda sit deliberabis: sicque rite inuocato & implorato Deo non fluxam illam, & inanis famæ rumusculos, sed æternum, sed perenne apud Deum nomen & Decus tibi acquirendum esse constitues. Eodem modo si auaritiam bellè virtutum coloribus fucatam & variegatam tibi obijciat, decernes non caduca illa & in morem aquæ prælerlabētia, sed immortalia, sed sempiterna, sed cælestia tibi bona cumulanda esse & coaceruanda. Ad quod tibi consilium illud Domini nostri Matthæi quinto non parum profuerit, qui ait: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra &c Sed Thesaurizate vobis in cælo, vbi ærugo & tinea non demolitur.* Similiter si capitalis ille tuus inimicus libidines & voluptates tibi obijciat, tu sectandas tibi quidem eas esse constitue, at non illas quas Diabolus suggerit, sed quæ Dei electis & vitam ex illius instituto transigentibus præparatę sunt. Quo quidem modo nec faciliorem

repe-

reperire est, nec laudabiliorem, addo etiã nec fructuosiorem. Ita namque Diabolũ suomet gladio sicut Dauid gigantem Goliath interficies. Tertium remedium tẽtationes quà euadendi quà superandi humilitas constituit: Quæ sola sicut D. Anthonio reuelatum fuit laqueos quibus mundus iste plenus ac obsitus est contẽnit & elabitur. Verum enimuero quemadmodum Rex quispiam subditis suis cæteroqui humilibus & modestis vbi ad arma ventum fuerit, opem suã deesse non patitur: ita Regina Humilitas quæ inter cæteras virtutes ordines ducit hominem quem incolit à Diabolo nequaquam superari patitur & debellari. Cum præsertim Diabolus exercitu suo stipatus per superbiæ montes tripudians ac sublimis oberret; è cõtra autem humilitas in imis vallibus lateat. Neque verò tantum humilitas ad Diaboli tentationes superandas confert, sed ad ipsorum etiam aduersariorum nostrorum iacula & sagittas retundendas, quæ vbi directè in hanc inciderint, hebetari illas necesse est & eneruari. Quartus de tentationibus triũphandi modus est, Diuinum auxilium implorare & supplicibus vobis magnum illud ac cæleste numen conuenire, Nota enim

est de Moyse Hebræorum duce & nomotheta historia, qui cum elatis ad cælum manibus Deum precaretur populus Israeliticus fortiter in hostem pugnando exercitum Amelech conficiebat. Hanc postea historiam matrona Iudith lõge post homines natos celeberrima cũ ad populũ suum verba haberet, in rem præsentem adduxit, & vt Assyrij obsessi ad Deũ confugerent eos commonefecit dicens: *Memores estote serui Dei Moysi, qui Amalech nõ ferro pugnando sed precibus sanctis deuicit.* Similis & germana huic historia illa est quæ Primo libro Regum Cap. 11. habetur. Cum enim populus Iabes ab Ammonitis obsidione cinctus aliũde auxilium spondere sibi non posset, Legatis ad Saulem missis obsidione confestim soluta in libertatem restituti sunt. Ita anima aliqua à tentationum & Diabolorum exercitu obsessa, simulac Dei & sanctorum opem implorarit, Satan re infecta discedere, receptui canere, aut si manum cum obsessis conserat, insigni ignominiæ macula aspersus fuga sibi consulere compelletur. Quintus tentationibus viriliter obsistendi modus à fide petitur, quæ pænarum æternarum & coronæ sempiternæ certa, ne ciuitatem suam anima dedat vetat ac

pro-

probibet. Verum istis nunc ita absolutis & veluti per transennam explicatis instituti nostri ratio monet aliquid vt etiã de tentationum fructu & vtilitate dicendum esse videatur. Principio itaque etsi à parte inimici tentationes ad Christiani studiosi & Collegij sapientiæ ruinam ordinatę sint: attamen & Deus studiosos Discipulosque suos tentationibus multifariam affligi permittit & lancinari. Primùm vt assiduis istis hostium impressionibus docti & eruditi milites insignesq; etiam strategi euadant. Secundò vt dum inter hostem ætatem agunt peruigiles sint & assiduo excubent. Tertium vt infirmitatis suæ conscij nihil de se sibi appromittant, sed continuò intra modestię ac humilitatis limites spiritum animumque contineant. Verum cum hæc vt opinor satis sint facile vt vniuersi intelligant quomodo id quod Diabolus nobis adornat in studiorum nostrorum cursu nos supplantaturus, maius potius adiumentũ adferat: indies vt maiorem in sapientiæ isto Collegio profectum faciamus; ad sequens capitulum transeamus.

## *QVOMODO MAGDALENA Christi discipula primum legere dedicerit.*

## CAPVT XVII.

POstquam Maria Magdalena Scholis supradictis nuntium remisisset & multum vale dixisset, simulac à Domino nostro in Matriculam Collegij sapientiæ relata fuit, Conscientiæ suæ librum legere & suijpsius cognitionem apisci cæpit; quemadmodum id manifeste satis D. Lucas cap 7. innuit cum ait, *Vt cognouit.* Quatuor autē potissimum ex libri illius assidua & diligenti lectione consecuta fuit. Primum suijpsius cognitionem, intelligens quot, quanta, quamq; enormia peccata designauisset: tum Dei se creaturam esse, ad illius imaginem & similitudinem cōditam, ratione præditam, morti obnoxiam & aliquando Diuinæ visioni fruitionique destinatam. Cumque hoc modo plenam naturæ suę scientiam & cognitionem accepisset, intellexit deinde etiam in quod monstrum per peccatum Diabolica Metamorphosi esset transformata. Cæterum prima ista sui-

ipsius

ipſius cognitio prim⁹ in ſcala cæli grad⁹ eſt: neq; enim ijs cor ad videndũ Deum attollere poterit, qui ſeipſum vidit intuituſque nec dum eſt. Vt namque quæ in Deo ſunt cognoſcamus, ante quibus nos ipſi affecti ſumus explorata & comperta nobis eſſe debent. Hinc dum multi curſus aſtrorum, vim & poteſtatem herbarum, complexiones hominum, proprietates animalium, naturas cæleſtium ac terreſtrium rerum perſpicere & intelligere ſatagunt, illud tamẽ nunquam conſequuntur ſui vt ipſius cognitionem indipiſcantur. Quæ enim ſtultitia illa eſt, in alieno libro legere velle, priuſquam in tuo elementa dignoſcere, ſyllabas coagmentare, verbaque pronuntiare poſſis? Obſeruauit ergo contrarium Magdalena quæ in ſuo libro legere, & tam naturam quam culpam ſuam cognoſcere, ac inde ingratitudinem ſuam erga Deum, cuius donis abuſa fuit, ante perſpicere allaborauit: Vt quomodo primum bona naturæ, pulchritudinem, ſanitatem, ætatemq; ſam iuuenilem perdidiſſet: quomodo diuitias & generis nobilitatẽ adhibuiſſet: & quomodo denique ingenium & intellectum applicauiſſet velut in ſpeculo aut in tabella aliqua contemplaretur.

Hanc autem deinde cognitionem consecuta, in corde suo cũ D. Paulo dicere incæpit, O me miseram & infelicem Magdalenã! quomodo quæso ignorare potes Misericordiam Dei ad pœnitentiam te expectare? quin aliquando peccata deserimus & ad nos redimus? quin aliquãdo cũ Propheta dicim⁹: *Miserere mei Deus secũdũ Misericordiã tuã. Quoniã iniquitatem meã ego cognosco.* Ad hũc.n. modũ filius prodigus se recognouit, quãdo cõscientię suę librũ euoluens, *& in se reuersus dixit. Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, Ego autẽ hic pereo?* Neq; vero multo aliter Mariæ Magdalenæ euenisse existimandũ est, quæ simulac in propriæ se miserię cognitionẽ penetrauit, & immanes peccatorum suorum sordes considerauit, quã potuit celerrimo cursu ad fontem gratiæ Iesum Christum lauatura contendit. Nec immeritò: vt enim is qui morbi sui ac periculi in quo versatur non ignarus est, vnum hoc agit, vt quam maturrimè doctũ aliquẽ & expertũ medicũ cõsequatur: Imò sicut nauta tunc maximè ad gubernacula sedere, remos ducere, & operas exhortari incipit, cũ tẽpestatẽ imminentẽ præuidet; & sicut is qui passim ignẽ domũ depopulari videt ad vicinorũ auxilia implorãda adigitur: sicut deniq; tũc cõmunibus viri-

bus

bus res agitur quando hostes in męnia ac muros eniti cōspicamur. Ita Magdalena postquā ōnia illa in se reperisset quę de se spiritualiter dicta sunt, feriari nō potuit, nec dū Magister illius à mēsa surrexisset pręstolari: quippe q̄ probè intelligeret à mora & cūctatione plus dāni & detrimēti quā fruct⁹ & emolumēti sperādū sibi esse. Vnde grauitate peccatorū suorū cognita, & diuersorū flagitiorū enormitate perspecta ingentē miseriā ingenti misericordia opus habere intellexit: sicq; abissus ærūnarū cōmiserationū abissum implorauit. Atq; hic prim⁹ fruct⁹ fuit quē Magdalena ex suimet libri lectione reportauit. Secūdus est quod euidēter & liquido intellexit quātā bonorū per peccata sua iacturā fecerit & detrimētū: quomodo videlicet seipsā miserrimè corruperit, cæleste regnū perdiderit, & ex Dei sui gratia exciderit: tū quomodo honorē libidinib⁹ prostituerit, peculiū Domesticū crebris & sūptuosis cōuiuijs exhauserit, quomodo tēpus & ętatis suæ florē dilapidarit, & quā sępe in friuolis, inutilibusq; reb⁹ se animūq; suū occuparit. Harū aūt omniū rerū iacturā & detrimentū cū adhibita in cōsiliū ratione expēderet, quid amabo aliud facere poterat, quā flere, quā eiulare? etenim si mūdani isti diuites ac opulenti sæpe propter

exiguum in bonis temporalibus acceptum detrimentum muliebriter, & puerorum instar lamentantur: quanto iustius nobis id liceat, qui inæstimabilium thesaurorũ per peccata nostra naufragium sæpe numero passi sumus? Tertio in conscientiæ suæ supradicto libro mala & damna quæ incurrit, Maria etiam Magdalena legisse existimãda est; qualia sunt dãnatio sẽpiterna, priuatio paternæ suæ hæreditatis, & cælestis gloriæ naufragiũ. O Magdalena tenella & delicata mulier, quomodo amabo tu sempiternos inferni ignis toleratura es? extingue potius eos si sapis, & contritionum lachrymis quantum potest suffoca. O miseram filiam! an non intelligis pessime te isthoc tuo viuendi instituto optimi tui parentis amicitiam & patrimonium pariter amittere? pericula isthæc quæ tibi imminent nisi seriò resipiscis non vides? Cognouit quartò quis ille esset quem toties peccando & in flagitiorum suorum sordibus volutando offenderat, nimirum bonitatem infinitam, quæ Deus est, & à qua innumera ac inæstimabilia beneficia accepit. O ingratam & insipientem! oblectauisti tu te hactenus cũ inimico tuo Diabolo, cõtristauisti sãctos, & bonos angelos,

los, amicos suos fideles despexisti, male agēdi viam instituisti, & prauis suggestionibus semper, sanctis autem nunquam acquieuisti. Age ergo iam nunc Magdalena mea, exhilara angelos, conuersare cum sanctis, reijce iugū Diaboli & vnius Dei seruitio te addicas: Huius regnum & diœcesim inhabita, hunc vt regem tuum honora; & sicut ante hac perditè agendo illum blasphemauisti, ita nunc eundem sanctè viuēdo glorifica. Habes hactenus primas Magdalenæ lectiones, quas illa ex conscientiæ suæ libro desumpsit: habes suijpsius cognitionē, omnibus plane animabus necessariam, quę Domino nostro desponsari desiderant; quemadmodum id Salomon Canticorum Primo pulchrè insinuat dicens: *Si ignoras te ô pulchra inter mulieres; egredere, & abi post vestigia gregum tuorum &c.* Porrò prædictæ illæ scientiæ, Magdalenæ cordi admiranda Diuinæ dilectionis insignia imprimere cæperunt, qualia sunt odium rerum humanarum & mundanarum, desideriū bonorum cælestiū, & incredibilis amor omnes numeros præceptorum Diuinorum adimplendi. Et primum quidem quantum ad despectum & contemptum rerum mundanarum attinet, simulac

Magdalena earũ inconſtantiã & inſtabilitatẽ cognouit, inter crebra ſuſpiria & lamenta in hũc modũ effata fuit. O miſerã animã meã! ergone te Magdalena mũdus iſte fluxus & labilis paſcere poteſt ac recreare? iſtis tu te delicijs immergere & tranſitorijs illis voluptatibus mentẽ animũq; addicere potes? Tu iſthoc ore tuo & effrænata lingua Creatorẽ tuũ offendere & inceſſere? Tu capitis tui ſuggeſtu & vniuerſo illo mũdo muliebri te & alios pariter egregiè fallere atq; traducere? prô dolor! Tune tot animas in ſpem cęleſtis regni creatas & educatas obſcęna oculorũ tuorũ libidine ardentiũ & fulgurantiũ intuitu perdere audeas? Reuera. n. quod de Baſiliſco Hiſtorici narrãt, id in te multo quã veriſſimum eſt: vt enim ille peſtifero ſuo aſpectu homines enecare dicitur ita tu hactenus peccatis tuis longe grauiſſimis multorũ incautas animas in profundum inferni barathrum & ęternę cõdemnationis abyſſũ pręcipitauiſti. Quã autẽ amabo ob cauſam corpus illud tuũ quod vermiũ tantum cibus & pabulum futurum eſt, adeo cultum & exornatum ſaluti animæ tuæ, imo ipſi Deo qui ſummum tuum bonum eſt præferre & anteponere non reformidas? certe nobili

domo

domo oriunda es, Ex illuſtri familia ſata elegans & venuſtũ corpus, ac amplas etiã diuitias & fortunas accepiſti: habes gen⁹, habes formã, rẽ habes: & nihilominus inſtar porci in limo & cæno carnaliũ voluptatũ verſari tibi libet ac volutari? aut inſtar formoſę quercus glãdes tantũ ſuib⁹ paſcẽdis aptas progignere? quomodo pati potes vt mũdus te ita decipiat; dicã verius, vt tu teipsã? Bona reuera illa quib⁹ inhias & inſidiaris fluxa tãtũ & caduca sũt, quæ autẽ deſpicis & contẽnis æterna & ſempiterna. Quæ tu perſequeris, voluptates quas aucuparis, delicias quas venaris, cũ beſtijs cõmunes habes: reliquæ autem quas tu ſordere exiſtimas, tibi ac angelis tãtũ proprię ſunt, quin ergo vocẽ Domini tui per Prophetã Ieremiã loquentẽ audis? *Fornicata es cũ amatoribus multis, verũtamẽ reuertere, & ſuſcipiã te.* His fere verbis Magdalena rerũ mundanarũ ſordes execrata omnia plane carnalia deſideria faſtidire & auerſari cæpit: ſicq; bonorũ ſupernorũ ſitim & affectũ in ſe excitans cũ Pſalmiſta dicebat: *Sitiuit anima mea ad Deũ fontem viuum*; & cũ S. Paulo: *Cupio diſſolui,* cupio tabernaculum corporis mei confringi, *& eſſe cum Chriſto.* Hoc autẽ adeo acre deſideriũ neutiquam in ſe concipere

potuiſ-

potuisset, nisi multo ante bonorum illorum cælestium sensum & gustum aliquē habuisset. Quisquis enim eo modo erga Deum & illius Paradisum afficitur, huic secundum D. Bernardum omnia mundana sordere, & incredibilis amaritudo videri debent. Sicut autem ad salutem animæ & amicitiam Dei non nisi per Diuinorum mandatorum obseruationem peruenitur, Iuxta illud Matthæi nono *Si vis ad vitam ingredi serua mandata*: Ita confestim ardor ille Magdalenæ animū inuasit omnia & singula diuinæ legis præcepta ad amussim obseruandi: sicque etiam cum animo suo repetens animanti nihil difficile, & iugum legemq; Dei leuia suauiaque esse, Domini nostri scholā & collegium deinceps frequentare, constituit: certa quemadmodum hactenus neglectu Diuinorum mandatorum pernitiem sibi fabricata fuerat, ita cæterum per eorundem obseruationem animæ se suæ salutem promoturam & procuraturam esse. His ita firmiter decretis & cōstitutis, ad meliorem frugem se recipit, Iesu Christi doctrinam mente & auribus excipit, eius voluntati in omnibus obtemperat, & ne latum quidem vnguem à virtutis schola recedit. Hanc Magdale-

nam

lenam sedulam & diligentem discipulũ nos peccatores imitaturi, ante quemadmodum conscientiarum nostrarum libros euoluere oporteat addiscere debemus: qui cum sępenumero falsas & mortis literas contineant, nisi eæ primum expungantur librique adeo ipsi aperiantur, legi intelligique non possunt. Id est; peccatum quod interius latet & excusationis pellibus ac corio inuoluitur, patefaciendum est, & in confessione detegendum; alias enim in extremo iudicio violenter à seueri iudicis satellitibus aperietur & ad insignem nostram cõfusionem dirumpetur. Qui etiam liber si corruptus & deprauatus fuerit, quemadmodum Ieremiæ ille in quo Babyloniorum maledictiones & diræ continebantur, ita quoque ipse molari alligatus in Euphratem infernalem demergetur & sempiternis ignibus comburetur: certum enim, & indubitatũ est sordidas istiusmodi & lutulentas conscientias irruente in se seuerissima Iudicis sententia in sempiternum condemnationis barathrum deturbatas iri. Porro quot peccata mortalia seu venialia in hoc sæculo commissa fuerunt, tot minutas capitalesque (vti Typographi eas vocant) literas libri istiusmodi

con-

conſcientiarũ humanarum cõtinebunt. In his enim Diabolus ſuperbiam, iram, & auaritiam: mundus cupiditatem, vſuras, & ambitionẽ: & caro deniq; ignauiam, gulam, luxuriamq́; deſcribit. Quas ſcripturas & literas adeo vniuerſas contritionis lachrymis & pęnitentiæ ſpõgia deleri expungiq; neceſſe eſt: ſi .n. remãſerint, tũ vero iuſtiſſim⁹ ille Iudex ad trãſgreſſionẽ ſuorũ mandatorũ velut propoſitionẽ Iuſtitiæ ſuę rigorẽ ceu Aſſumptionẽ adiungẽs, cõcluſione sẽpiternæ mortis ſyllogiſmũ ſuũ abſoluet. At dicet mihi hoc loco rudis & craſſiore aëre prognat⁹ quiſpiã, Quomodo vero ego in conſciẽtiæ libro lecturus ſum qui tãtis peccatorũ tenebris obfuſcatus & obnubilat⁹ eſt? Ad quod ego Reſpondeo: beſtiã nõ immerito videri illum, qui cũ quę propria manu ſcripſit, & ſuæipſius cõſcientiæ peccatum legere nõ valeat, in alieno tamẽ Lynx aliqua & Epidaurus eſt. Quiſquis. n. iſtiuſmodi eſt, hic cũ oculo ſimilitudinẽ quãdã habet, qui cũ extra ſe poſita omnia accurate intuetur, ſeipsũ tamẽ videre nõ poteſt. O cæcitatẽ mentiũ hũmarũ! Certe ſi is omniũ iudicio ſtult⁹ audit, ſui qui ipſi⁹ obliuiſcitur: eum reuera inſignite fatuum & amentẽ eſſe oportet, qui plus ſtudet vt

aliena

aliena quã vt propria peccata legere valeat. Itaq; cũ non abſq; voluptatis aliqua titillatione proximorũ noſtrorũ peccata recitari audiamus; cũ noſtra exponenda sũt, cũ anteactæ vitæ ratio & examẽ apud confeſſariũ inſtituendũ, tũ verò latebras circũſpicimus & Chriſti vicariũ ac illius cenſurã reformidamus. Vnde concludo eũ qui perfecte cõſcientiæ ſuę librũ legere deſiderat ſæpe numero eum inſpicere oportere: queadmodũ gnaui diligẽteſq; diſcipuli qui ne lectionis ſuæ quã memoriæ ſemel crediderunt obliuiſcãtur, librũ ſuũ identidẽ inſpectãt. Videas tu pleroſq; nõ niſi ſemel in anno cõſcientiæ ſuæ librũ inſpicere: & quid mirũ eſt ſi eundem legere ignorãt? Attendimus ſedulo imò excubamus ne tẽporale aliquod bonũ iacturã quampiã patiatur, luſtramus dolia ne vinũ dilabatur, frumentũ vertimur & transferimus ne corrumpatur: ipſa deniq; prata inſpicimus ne à talpis inſideãtur & ſuffodiantur. Cũ ecce tibi miſerã animã lõgo tẽpore derelictã qui cuſtodiat nemo eſt, nemo inquã qui exploret vtrũ per foramina aurĩu & oculorũ infecta fortaſſis aliqua in eã irrepãt & illabãtur. Liber cõſciẽt. pulueribꝰ obſitꝰ eſt, & ideo aſini eũ legere nõ poſſũt & tamẽ ſi de ſeipſis nihil

legere

legere possunt, de alijs quomodo sodes legent? & qui vicina non videt quomodo quæ eminus sunt videbit? Responde mihi, *clerice quem librum legis?* an nomen tuum ignoras, an id per casus inflectere non potes, an ea quæ contra Deum fecisti nescis? si ignorare te fateris cuius Lumbrici aut Lauernionis discipulus es? talẽ enim reuera esse te oporret, qui adeo raro scholam frequentas & librum tuum inspicis. Etsi enim peccata longum ante tempus patrata sint, attamen si in schedã illa retulisti, succurrere tibi cum voles necesse est. Ideo enim quilibet naturæ lumen vt facigerum accepit, quo illius opera bonũ à malo discerneremus, quidue male vel benefactum fuerit intelligeremus. Verum si etiam aut lumen istud obscurius, aut visus tuus hebetior sit, ita vt ęgre conscientiæ tuæ librum legere possis apprehẽde lucernam verbi diuini, accede confessarium, qui nullo negotio ad peccatorum tuorum cognitionem viã tibi sternet ac muniet. Inuoca deinde lumẽ diuinę inspirationis, ipsiq; Deo te cõmendans eum Psalmista dic: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine.*

## QVOMODO MAGDALENA *scribere didicerit.*

## CAPVT XVIII.

SAnctus Augustinus diuersarum in Sapientiæ Collegio Monasticarum familiarum author ac parens, in Orationibus suis hic fere verbis Deum suum affatur: Fac ô Domine Deus, vt me & te iuxta cognoscam: da mihi cognitionem tui & meiipsius: Mei enim cognitio me humiliabit, tui autem ad te amandum incitabit; quemadmodum Mariæ Magdalenæ euenit, quæ librum illum Ezechielis in quo tria scripta erant, *Lamentationes* videlicet, *carmen, & væ*, adeo accurate legebat & intelligebat omnibus vt imitandi & paria faciendi spem prope ademerit. Cum hac ergo quisquis conscientiæ suæ librum diligenter euoluere satagit; is grauitatem & enormitatem delictorum suorum considerans, planctus, lachrymas, & eiulatus discit. Quis enim secũdum Scripturam id absorbere cupiat, quod comestum & deglutitum mortem affert? quis fimetum & olidum in se sterquilinium pati ac tolerare velit? Quæ vero turpitu-

do, quis fœtor, quæ putrefactio peccati infamia maior est? Nam vt Psalmista dicit: *Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ.* Postquam ergo in conscientiæ tuæ libro lamentationes & ploratus legeris, ad Cantica & Iubila in eodē contenta transi, sicque conceptum dolorem Beatorum felicitate leni, ad quam identidem rite suspirare par est, cum Psalmista exclama: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi in domum domini ibimus.* Porro secunda hac lectione ita cognita & memoriæ fideliter insculpta, ad tertiam quæ væ & Diras continet, transibis, illasque in peccato obstinatis & pertinacibus apparatas cum animo tuo recolens, Sanctum diuini numinis timorem in te suscitabis; sicque quotidie Conscientiæ tuæ librū inspiciendo & singula eius folia euoluendo, perfectus Iesus Christi Discipulus euades, & plenam quidlibet accurate legendi cognitionem consequeris. Quoniam autem iam nunc Magdalenam in lectione perfectā euasisse ostendimus, superest vt eosdem illam profectus in scriptione & literis pingēdis fecisse adstruamus. Principio itaq; etsi innumerabiles prope fuerunt qui *de Conscribendis Epistolis* præ-

*lis* præcepta in vnũ corpus congesserint, & publici postea iuris fecerint: quia tamen methodum inter homines tantum literas & epistolia mittẽdi tradiderunt, ideo nulla ex parte Magdalenæ nostræ comparandi sunt. Ea enim Spiritu S. duce & Magistro artem epistolas ad Deum exarandi, & cum illo suauissime per literas sermocinandi inuenit; quẽadmodum id minime obscure S. Ioannes cap. vndecimo significat, vbi de morbo & aduersa valetudine fratris Lazari verba faciens ait: *Miserunt sorores eius ad eum dicentes, Domine ecce, quem amas infirmatur.* Ecce scriptionem, ecce literas, ecce epistolam à Magdalena & Martha sororibus artificiose inuentam, accurate dispositam, & graphice exaratam! Cum autem Magdalenam etiam scriptionis epistolicę peritissimam neutiquam fugere posset, ea quæ ad Principes & Magnates scribuntur, breuibus proferri & explicari oportere: imò epistolas breues, amicitias autem longas esse debere; ideo illa paucis admodum verbis animi sui sensa declarat, & dum parum dicere videtur, plus in recessu quã in vestibulo ostendit; quemadmodum cuilibet facile

allu-

allucebit, ſemel qui tantum Laconicam eius epiſtolam, ſingulaque adeò illius verba penſiculatius examinarit. Ait enim principio, *Domina*, vbi ſubaudi & ſubintellige, vitæ ac mortis, penes quem morborum & ſanitatis dominium eſt, & cui ſimulac aliquid præceperit, confeſtim obeditur, dicente Scriptura: *Subeſt tibi cũ volueris poſſe*: & alibi; *Dixit & facta ſunt*. Vbi etiam illud mihi aduerte, quod Magdalena non certi alicuius loci ſed abſolutè Dominum illum appellet: indicatura videlicet id nomen, proprium illi eſſe, prout Pſalmiſtam innuit dicens: *Domini eſt terra & plenitudo eius*; & ſicut ipſemet Apoſtolos ſuos allocutus adſtipulatur. *Dominus his opus habet*. Ad eundem ergo modum Magdalena Chriſtum Dominũ appellat cuius humilem ſe diſcipulam futuram ſemper eſſe profitetur. Addit deinde aduerbium demõſtratiuum *Ecce*, ac ſi dicat: Neceſſitas vrget, res euidens notoriaque eſt nulla hic morbi ſimulatio, ad oculum patet, nemo ignorat, nemo neſcit Lazarum fratrem meum vixiſſe. Non dormit ille, non quieſcit, non moritur, ſed mortuus eſt. Et ſequitur, *Quem amas*, ſicut & ille te, ſubaudi: Nam id tumet Prouerbiorum 6. appromittis dicens:

dicens: *Ego diligentes me diligo.* Imò non hoc ſed aliud Magdalena dicere vult, nō qui te, ſed quem tu amas. Amor enim iſte quo nos Deum amplectimur nulla ex parte cum diuino illo componi comparariq; poteſt, qui nullo merito preuentus nos ante dilexit. Verum vt vt eſt Domine Ieſu, inquit Magdalena, accipe in cuſtodiam amorem tuum quo creaturam tuã proſequeris, accipe opus tuum, accipe plaſma manuum tuarum, & facturam digitorum tuorum. Oſtende nũc effectu quod cap. 10. Sapientiæ legimus: *Diligis vniuerſa quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti.* Oſtende te amare Lazarum quem te amare tibique ſeruire voluiſti: ama inquam illum non propter generis nobilitatem ſed propter virtutem quam ei inſequiſti & indidiſti. Et ſequitur quartum vocabulũ, *Infirmatur.* Ita ne vero? vide Magdalena quid dicas. Tu ergo Dei amicos infirmari poſſe exiſtimas? tu illius familiares male haberi, affligi, & vapulare arbitraris? Imo verò: hæc ſola peſtilens & letalis valetudo ac infirmitas eſt, cum extra diuinam gratiam conſtituti ſumus. Cum autem à Deo virgis cædimur, cum morbis, cum ærumnis, cum egeſtate plectimur, tum verò dicere non poſſumus

K cum

cum alienatum à nobis esse, & quos paulo ante dilexerat, execrari. *Quem enim diligit Dominus corripit, & quasi pater cum filio complacet sibi.* Quem namq; tu parentem mihi dabis, adeo qui tenere perditeque liberos suos diligat, vt cum eos aqua absorptos iri videt, capillo fluctuantes non apprehendat, & morti etsi non absq; dolore aliquo subducat? Peccauit ergo & halluzinatus fuit Elyphas Iobi necessarius, quando ei ob oculos statuit, quemadmodum nullus iustorum & vitij expertium affligatur. Etsi enim aduersa valetudo inter sinistra ferè & ærumnosa numerari consueuerit: attamen trifariam nobis præcipue vtilis fructuosaque est; & Primò quidem quia à Deo summo bono immittitur: Secundo quia ipsum illud summum bonum Christus videlicet naturæ assumptæ sociam habuit: Tertiò quia Creaturam ad summum itidem bonum Deum videlicet perducit. Et principiò quidem morbos & ærumnas à summo Bono profluere dico, ideoq; nō nisi inter Bona censendas videri; quemadmodum Ecclesiastici legimus: *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo.* Sicut autem tribulatio & angustia non nisi à Summo Bono promanat

promanat, quod Deus est, ita non nisi æquabili patientique animo ferenda ac toleranda est. Quemadmodum sæpe quæ ab amicis munuscula in nos congeruntur, non ex donorum sed ex donantium prætio & amore æstimamus, amamus, & conseruamus. Vnde Christus Ioannis vigesimo ait: *Calicem quem dedit mihi Pater non vis vt bibam illum.* Tribulatio autem & aduersitas quid aliud est quã calix seu amara quædam potio quam nobis cælestis Pater offert atque propinat? & timeat adhuc æger eã recipere, eã bibere, eam exhaurire? Nam quomodo Deus medicorũ ille sapiẽtissimus, fidelissimus, & sincerissimus, peccare & pro pharmaco venenum nobis infundere potest, dũ amarã tribulationis potionẽ nobis propinat? Cum præsertim clare & euidenter S. Paulus fieri id posse neget, dum ad Corinthios 10. ait: *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione prouentum vt poßitis sustinere:* Cui Psalmista adstipulatur inquiens: *Cõgregans sicut in vtere aquas maris;* id est, Deus tribulationes & ærumnas iusta cuiq; mensura offert, atq; & tantũ singulis immittit quantum prodesse expedireque cognoscit. SECVNDO tribulatio-

bulatio in ſupremo noſtro bono id eſt in Chriſto Ieſu fuit; vnde & illud conſequitur neceſſario bonam eam videri: quippe cum nihil niſi bonum admittere recipereque poſſit. Vnde pulchre D. Auguſtinus ait: Verus Homo Deus Ieſus Chriſtus, omnia terrena cõtempſit, idem vt nos poſt illum faceremus nec aliquo pacto deſideria noſtra tẽporalibus adijceremus. Portauit ergo calamitates, egeſtatem, & penuriam, ne videlicet nos in caducis illis bonis felicitatem noſtram defigamus, aut aduerſa & dubia infelicitatis loco habeamus. Si ergo vnicus Dei filius, Patri in omnibus & per omnia æqualis, Verbum diuinum, per quem omnia facta ſunt, cum in diuinitatem ſuam paſſio nõ caderet, humanitatem aſſumere voluit vt pro nobis flagellaretur: Si inquam ille qui omnis culpæ & criminis expers eſt, ſuffert ac patitur: quomodo nos Filij adoptiui & Peccati Hæredes in hoc mundo affligi nolumus, & moleſtias ac ærumnas execramur? Næ vero nos inſigniter ruſtici agreſteſque ſumus, qui nõ intelligimus honorem nobis adhiberi quod vnicum Rege noſtro menſæ accũbimus, quod vno ferculo paſcimur, & calicis illius reliquias quem in Crucis abaco de-

eo deguſtauit exhaurimus? ò felicem re-
uera illum & beatum, cui extremum diẽ
inter ærumnas iſtiuſmodi claudere licet!
certo enim certius ijs deuoratis ad ſem-
piterna gaudia & perpetuam felicitatem
auocatur. Tertio tribulationes non niſi
bonæ eſſe poſſunt, quia homines ad ſu-
premum bo[n]um deducunt. Quæ enim
nocent hęc docent. Et per multas tribula-
tiones regnum Dei intrare oportet. Atq;
ſi etiam hoc loco dicas, Tribulationum
illud ferculum inſipidum ac male condi-
tum ad teneram ſaliuam & palatum de-
licatum, qualem Lazarum habuiſſe veri-
ſimile eſt, minus bene conuenire: Reſpō-
deo, dulciſſimum gratiſſimumque effici
ſi iuſculo ſuo rite & decenter intingatur;
vnde quoties tibi id apponetur, hoc ante
Receptum adhibere memento. Recipe
dragmam Timoris Deī, & Sanctæ ſpei,
adde ij ana. miſericordiæ & compaſſio-
nis: hæcque ita mixta & cōfuſa in cordis
tui mortariolo cōtunde, indeq; identidẽ
ſume, quod ſi feceris ferculum illud ærū-
narum & tribulationum catapotiū in ul-
to quam auidiſſime exhauries. Cum autẽ
prima Timoris Dei ſpecies, & inferna-
lium tormentorum Metus iuſculum a-
marum efficiat, guſtum & palatum radit,
 peccata

peccata pellat, arcum Iustitiæ diuinæ & illius sagittas iam iam ab æquitate spargendas reformidet: consultum est eam secunda Fiduciæ specie lenire, & mercedis imminentis recordatione flagelli quo cædimur dolorem nonnihil mitigare. Tertium condimentum ex Cinnamomo aromate longe præstantissimo fit, & vtimur eo quoties acerbissimæ seruatoris Iesu Christi Passioni compatimur: considerantes quantum ille pro nobis primo in flagellatione ad columnā, tum in Coronatione spinea, ac denique in arbore Crucis sustinuerit. Reuera enim quisquis Passionem istam recte cordi suo impresserit, is quin bono animo difficillima quæque exhauriat fieri non potest: quippe cum afflictio quantumuis magna cum minima illius comparata deliciarum potius quam tormentorū vim ac speciem habeat. Maneat ergo in controuersiam vocari non debere, vtrū aduersa plerumque intimis Dei amicis ac familiaribus immittantur: Maneat etiam Magdalenam idcirco recte & sapienter petiuisse & dixisse: *Quem amas infirmatur.* Vbi & illud nota Magdalenam non petere, vt Dominus se conueniat & lecto affixum sanet, sed quod necessitatem

tatē exposuisse cōtenta, simpliciter dicat *Infirmatur*, cętera omnia diuinę illius voluntati & beneplacito relinquens. Et addequod amico necessitatē indicauisse sufficit, & miseriā expressisse satis est: qui.n. verus amicus audire vult is nō pluris suū quam alienum cōmodum & incolumitatē æstimabit. In summa Maria hæc nostra adeo efficaces ad Christum literas dedit, confestim vt ipsi in hæc verba respondere rescribereque non dubitarit: *Infirmitas hæc non est ad mortē, sed vt glorificetur filius Dei per eam.* O nouam, ô admirādam, ô insolentē seruatoris Nostri doctrinā! Cū enim antea afflictio, infirmitas, & mors, irati quædā Dei signa esse viderentur: nunc eundē placatū arguunt, & omnia isthæc ad gloriæ scopū referentē. Vnde etiā in illius cognitionē digredimur, Christianū in aduersitatibus cōstitutū nō solū confiteri debere, à superna Dei illas voluntate ꝓmanare, idē enim improborū etiā iudiciū est, qui infortunio aliquo mulctati, diuinę id punitioni adscribūt: sed etiā firmiter credere ōnia àpaterna ei⁹ beneuolētia ꝓficisci q̄ nihil nō ad gloriā suā & honorē dirigit: postquā.n. nos sanitati redditos in libertatē pristinā asseruerit, tū vero gratiarū actiones ei ꝑsolue-

mus,& prōptiore ac paratiore illi animò inseruiemus. Præserquam quod etiam ex hac præsente Historia liquido ac euidenter cognoscimus, Deum in aduersitatibus nos non deserere,& nec in vita nec in morte nos derelinquere: quippe qui Lazari iam defuncti & tumulati non obliuiscitur, sed fætentem iam ac vermibus scatētem resuscitat. Et dubitamus adhuc idem nobis euenturum esse: modo ante cum Magdalena per literas indigentiam illi nostram aperiamus,& de anima spirituque nostro dicamus: *Domine ecce quem amas infirmatur.*

## *DE INSIGNI ET ADMIRAbili Mariæ Magdalenæ docilitate.*

## CAPVT XIX.

INter omnia facile profectus studiosorum impedimenta meo quidem iudicio maximum est, diffidentia illa quæ id in nobis efficit & operatur ægre vt Magistri verbis fidem adhibeamus, & quæ nobis dogmata prælegerit non qua par est reuerentia excipiamus. Patuit enim admodum id euidenter in Apostolo Tho-

Thoma, qui Christi Præceptoris sui le-ctionem quam de Resurrectione sua instituerat ante se acceptaturum negauit, quam oculis & manibus dicentis veritatem explorauisset. E contra autem nihil ita Adolescentum ingenia acuit, intelle-ctum subigit, & animum excolit quam Præceptori suo assentiri, & lectioni aurem animumque pariter accommodare. Vnde admirationem habere non debet quod Maria Magdalena tam fæliciter in suscepto studiorum suorum & virtutum cursu profecerit, ac incrementa omnium opinione maiora ceperit: potius autem docilitas illa & tantum non Diuina discendi facilitas affectui illi quo Magistrũ suum prosequebatur, & fidei quam illius dictis arrogabat ascribenda esse videtur. declarauit namque hoc ipse præceptor illius, quando in domo Simonis Pharisęi ita illam allocutus fuit: *Fides tua se saluam fecit, vade in pace.* Vbi si etiam quæras quidnam illud sit quod dicitur Fide saluatam illam esse, vnico tibi id verbo interpretaturus, dico significare quod ex desperata, quod ex infami, quodque demum ex filia Diaboli à cælesti Rege adoptata fuerit, eius vt aliquando hæreditatẽ cerneret & saluaretur. dicente D. Io-

 anne

anne cap. 1. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: his qui credunt in nomine eius.* Si itaque fides filios Dei nos facit an non illud etiã consectarium est, eidẽ nos gratos esse, & quę volemus facili negotio ab illo impetrare posse? Et quis dubitet horæ vni⁹ spatio oppido egregie illũ profecisse, qui per fidẽ saluari didicit? Itaq; verba etiã illa quibus Christus Magdalenam affatus fuit omnibus vere pęnitentibus & Iesu seruatoris nostri discipulis dici possunt: *Fides vestra saluos vos fecit, Ite in pace* Cuius quidẽ rei pleniorẽ vt aliquanto cognitionẽ habeamus tria hoc loco aduertẽda sunt per quę Fides pænitentem saluare dicitur. Primò enim latronibus infernalibus & capitalibus salutis nostræ inimicis hominem resipiscentem eripit, & à barbara illorum crudelitate defendit. Vt enim sole illo omniũ quę in terris geruntur arbitrio desuper in subiectum hunc globum infuso, latrones, prędones, & viarum subsessores in latibula sua profugiunt, & mercatores ac viatores tutũ quo volunt inter habere permittũt: Ita vero illo iustitiæ sole Iesu exorto & spiritus S. radijs in cor nostrum effusis, omnes repente Diaboli latebras circũspiciũt vimq; amplius nobis inferre non possunt. Huius autem clarissimi solis pee

lis per fidem allucẽtis primus radius est, quod videlicet Deum pœnitentibus facilẽ, obstinatis autẽ implacatũ esse demonstrat, Hic radi⁹ simulac in Magdalenę cor coniectus fuit, illico illa intelligere cœpit male secum actum iri nisi confestim Diabolo nuntium remitteret & perdite viuẽdi institutũ migraret. Secũdo fides Magdalenam omnesq; adeo pœnitentes tunc saluare existimãda est, quando sanitatẽ & animarũ salutẽ illis restituit: quippe cum omniũ morborũ spiritualiũ radix sit ignorantia, quæ iuuẽtuti maxime dominatur, quemadmodum prouerbiũ indicat, *Vtinam iuuẽtus intelligeret & senectus posset*; & Psalmista Deum rogans cõfirmat: *Delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas ne memineris*. Quin & Aristoteles in libris Ethicorũ ait, vehementia passionum ingenia obtũdi & hebetari, illarumq; tenebris Iudicia humana obfuscari: vnde etiã adolescentes lectionibus Ethicis minus conuenientes esse cõcludit. Si autẽ illud vero verius est fide ignorantiã illam nõ aliter quam lumine tenebras expelli: an non etiam istud pręclare consequitur, Fidem vitæ radicẽ, virtutũ scaturiginẽ, sciẽtiarum clauẽ & visionis Diuinę aditũ introitũq; esse. Ideo nãq; & Domin⁹ noster

 ad Mar-

Martham in fratris sui resuscitatione dicebat: *Nonne dixi tibi si credideris videbis gloriam Dei?* Tertio fides hominem saluat, non aliter quam clypeus qui aduersariorum in nos coniecta tela excipit atque retundit. Hinc etenim & D. Paulus ad Ephesios 7. Fidem scutum appellat dicēs: *In omnibus sumentes scutum fidei in quo possitis omnia tela nequißimi ignea extinguere.* Et nota hoc loco duplici fere telo aduersarium nostrū ferire nos consueuisse, altero rudi & crudeli, Iucundo altero & in speciem innocuo; quæ tamen vtraque fidei Clypeo facillime repelluntur ac retunduntur. Prius adhibet quando pænitentiæ asperitatem, duritiamque nobis repræsentat; sperans ab illius suscepto se studio abstrahere nos posse & dimouere. Id autem simulac fides conspicatur æternorum gaudiorū perpetuitatem leui ac momentaneæ ac sponte susceptæ pænitentiæ opponit, & sempiterna gaudia eā manere ostendit. Posterius telum aduersarius in nos torquet, quando sub prętextu mundanæ voluptatis, in ruinam nos impellere satagit: verum & hoc leui negotio fidei scutū repellit, quando momētanea carnis delectatione quæ instar fumi euanescit infernalia ac sempirerna nos suppli-

ſupplicia promereri demonſtrat. Quâ propter illud vnicuique ſedulo & enixè ſatagendum eſt, vt qua in proſperis quâ in aduerſis ſi quando ab inimico impetitur clypeo ſe iſto protegat atque defendat. At dicet mihi hoc loco ex Sectariorũ ſchola aliquis, Noſtras partes homo hic tuetur, fidem ſaluare confitetur, & ſpei interea ac charitatis inutiles Catholicorum quiſquilias amputat reſecatque. At nego id ego tibi mi homo, & cum S. Paulo ad Hebræos decimo ſpem & confidentiam inſignem remunerationem habituram contendo: charitatemque adeo ipſam cum Sapiente multitudinem peccatorum tegere & expungere aſſero. Quæres itaque quomodo ergo hæc fides ſaluet & qualis nam illa ſit ad quod ego oblique tibi reſpondeo, antequam Magdalenæ Ieſus diceret *Fides tua te ſaluam fecit*, iam tum dixerat, *remittuntur ei peccata multa quia delexi multum*. Qui amor quomodo ociari quomodo feriari, quomodo bona opera non frequentare potuit? quomodo non continuo aliquid agere quo amaſium ſuum oblectaret? quomodo nõ ſemper iſtiuſmodi moliri aliquid, quo ſibi illius animum ac beneuolentiã magis magiſque deuinciret? maneat er-

go cum in scriptura dicitur Fidē saluare, iustificare, & Beatificare, nihil tūc minus quam spem, quam charitatem, quā bona opera, quā saluationem, quam Iustificationem, quā beatificationē sustolli: quippe cum spes & charitas verę solidæq; fidei argumenta sint, per quæ veluti per quasdam Demonstrationes Mathematicas fides mortua aut viua esse cōprobatur: omnes autem tres istæ virtutes adeo arcto familiaritatis & necessitudinis vinculo mutuo sibi innexę sūt alte a vt absq; altera in hac præsenti vita subsistere non possit. Sicut enim arbor quæ radice caret truncus potius & mortuum lignum quā arbor est, similiterq; etiam si ramis & frōdibus exuta sit: Ita cum charitas radicem, fides truncum, & spes in altum eleuatos ramos repræsentet, altera absq; altera existere reperirique nō potest. Iam quantū cadauer ab homine, carbo à pruna, cere' ab incensa candela differt, tantum fides cum charitate & spe copulata à mortua illa quæ ambabus istis virtutibus Theologicis destituitur discrepat atq; dissentit. Imo sicut etiam candela non ardens non minus candela est, quam illa quę accēsa est: sicut pruna etsi ardeat à carbone non differt: & sicut cadauer si spiritum illi afflaueris, non minus homo erit quam

alius

alius quispiam: Ita Fides spe & charitate destituta, quæque in Christianis peccato obnoxijs reperitur fides quidem dicitur, at non saluat, non iustificat, non deniqз beatificat, quemadmodum illa quę charitate ardet & spe religiosa resplēdet. Hinc enim D. Paulus ad Corinthios cap. 13. ait: *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam nullus sum.* Et ipse Dominus noster in Euangelio ait in extremo iudicij die nōnullos sibi eiectos Dæmones patrata miracula, prędicta futura cōmemoraturos esse: quos tamē ille à se amolietur, suasq; sibi res habere iubebit. Vnde manifeste perspicimus etiā illā fidem quæ miracula perpetrabat hominē saluaturū nō esse: quod vt facere possit, spem & charitatem indiuiduas illā socias habere oportet. Et hæc reuera fides illa est quam S. Paulus per charitatē operari dicit, quæ à D. Iacobo viua appellatur & à S. Augustino omnis boni fundamētum nuncupatur; quod quidem si sustuleris iā vero vniuersum ædificiū in illo excitatū corruere & solo adæquari necesse est. Atq; si etiā id crassius adhuc & euidētius intelligere desideras: vide queādmodū quilibet peccatorū sibi veniā factā esse cōfidat; & q̃ ōnino aliā ob causā nisi quia Dei verbo fidē adhibem⁹, & quia pollici-

tatione illius excitati quæ pænitentibus misericordiam appromisit, vbi aliquando impegerimus ad eum confestim recurrimus: certa spe innitentes delicta nostra abolita & expuncta iri? Laboramus nos quietem postea nobis pollicentes, seminamus vt metamus, & fortunas denique nostras in pauperes erogamus eas vt aliquando non modio aut trimodio, sed integro horreo mensas recipiamus. Et quam aliam amabo ob causam eximij illi ac illustres Dei athletæ & pugiles Machabei ne latum quidem vnguem à Diuina lege discedere volentes, linguas suas exsecandas, manusque præcidendas carnificibus obtulerunt, nisi quod sciebant millefariam recepturos se in altera esse quod in hac mortali vita hilari & æquo animo pro Diuinarum legum propugnatione impendissent? At quomodo nos spes illa in tantum pascere & recreare potest, nisi quod promissioni Diuinæ innititur, quæ sui amatoribus æternum brauium & immarcessibilem coronam spospondit? Quomodo autem charitate etiam & amore in Deum ferri possumus, nisi antea ei credamus? qui enim amaturus id es quod nunquam cognouisti? cognitio autem ista vnde quæso sperabitur nisi

nisi à fide; Postquam ergo Deum clemẽtem, misericordem, & beneficum esse cognouerimus, tum vero eum amare incipimus, hocque ita amore æstuantes difficillima cæteroqui exanthlare & deuorare non dubitamus. Et sicut non amanti nihil non asperum, durum, & molestum esse videtur, ita is qui amat nullã plane difficultatem sentire potest & experiri. Quis immania illa saxa & lapidum detonantes imbres D. Stephano adeo dulces & iucundos fecit? charitas. Quis S. Laurentium in craticula assatum prunarum æstum, ardorem ignis, inclementiã carnificum incredibili constantia & magnanimitate contemnere & exsibilare iussit? Charitas. Quis imbelles & teneras virgines tormenta ridere, carnificibus insultare, Regna & diademata contemnere, & omnem huius sæculi pompam ac fastum aspernari docuit? Nunquid charitas, & Iesu Christi amor quo inebriatæ suppliciorum immanitatem vili faciebant, exquisitissimorum tormentorum crudelitatem contemnebant, & iam veluti omnis sensus expertes de victoribus suis triumphabant? Quis autem adeo emotæ mentis fateri se velit amorem vt istum à fide aliquando desti-

tui

tui arbitretur: quæ sicut D Ioannes docet victoria illa est, quæ mundum superat & per inuisibilium rerum cognitionem illud homini elargitur, fluxa vt ista cōtemnere & pro nihilo habere occipiat? Maneat proinde fidem omnis boni scaturiginem ac fundamentum esse; hac animū excitari, peccatorem de preteritis dolere, & bona opera accumulare incipere. Et patet hoc in filio prodigo, qui nunquam ad patrem redire constituisset, nisi ante firmam spem in gratiam se rursus receptū iri in animo suo concepisset; attraxit ergo illū fides, reduxit fides, restituit fides, quemadmodum etiā Mariā Magdalenā: cui quam bene Christus dixerit, *Fides tua te saluam fecit*, ex ijs quę hactenus à nobis allata sunt, neminē deinceps fugere aut latere potest. Cum autem adiungit, *Vade in pace*, quid aliud significare vult, quam eos nunquam studiorum suorum pænitendos fructus facere, qui ab omni strepitu, murmure, & tumultu quam longissime absunt: cumq; demū bonū Theoricum & speculatorem futurum esse, qui loca solitaria & à clamore arbitrisque remota ad commodius studijs inuigilandū sibi delegerit. Ait ergo Dominus noster *Vade* videlicet de virtute in virtutem

de

de bono in bonum, & de perfectione in perfectionem. Reuertere cum tribus Regibus alia via quam hactenus vsa es in terram tuam & in Regionem viuentium. *Vade in pace* & Deus tecum vadet. *Vade in pace* quæ non nisi ab amore Diuino pro manat; quemadmodum Psalmista id cõfirmat cum ait: *Pax multa diligentibus legẽ tuam.* Verum & ille in pace ambulat qui viam crucis dominicæ incedit, per quam omnia quæ in cælo & in terra sunt pacificata fuerunt. & ambulauit hanc viam B. Magdalena quæ Magistro suo astabat quando crucis patibulo configebatur. Hęc crux in monte Caluariæ, iuxta hortũ & extra ciuitatem est. Hanc quotquot studiosi diligenter considerant: contemplantes bonitatem Domini nostri qui pro nobis adeo ignominiosam mortem pati non dubitauit, ij vberrimos studiorũ suorum fructus aliquando relaturi sunt. Ad hunc enim modum S. Andreas Apostolus in cruce verba faciens & S. Petrus in eadem Deo spiritum reddens spacio horarum paucularum fælicissimos profectus co nsecuti sunt. Quos vt nobis etiam facere liceat Dei gratia assiduo imploranda inuocandaque est.

## *DE ARTE MEMORATIVA & felicitate ingenij quo Magdalena polluit.*

## CAPVT XX.

AVthor est Quintilianus in Institutionibus Oratorijs Studiosorum perfectionem in fideli memoria cõsistere, vt audita facile apprehendat & apprehensa diutissime retineat: quippe cum thesaurus illa quidam sit & omnes ingenij fortunas ac supellectilem complectatur. Quid enim profuerit multa collegisse, si momento temporis diffluant & dilabantur? Quid iuuat ex profundo puteo scientię aquã improbo labore hausisse si cribro excipitur? Hæc ergo Magdalena nostra minime ignorans eo omnes ingenij ac memoriæ suæ vires contulit, semel vt quæ in schola Christi audiuisset, eorum nunquam obliuisceretur. Porro si quæras quænam Ars illa Memoratiua fuerit à qua Magdalena nostra commẽdatur, facile id ex D. Thoma intelligi posse existimo, qui part. 2. qu. 49. arb. 1. solut. primi arg. quatuor modos rerũ quas volueris reminiscendi persequitur. & vero etiam ex Quintiliani libro vndecimo insti-

Institutionum oratoriarum facile cognoscere licere opinor. Nos itaque breuitatis hic potius quam copiæ rationem habentes, duas tantummodo ad Artem Memoratiuam vias ostendemus. Prima est, vt qui rei cuiuspiam reminisci & recordari vult, omnes suas cogitationes ad eã cõferat, hãc vnã cogitet, hãc ob oculos habeat, in hac & circa hãc cõtinuo occupetur: quo.n. pertinacius eã insecutus fueris, hoc firmius tibi eam imprimi necesse postea est & adhærere. Hinc Ciceroni in sua Rhetorica vna optime solicitudo rerum imaginatarum figuras retinere & conseruare videtur. Altera est, vt eidem animo & cogitatione circa id versemur, quod semper recordari, quodque æternum memoriæ nostræ insculpi desideramus. Hinc enim Aristoteles in lib. 20. de Memoria ait, crebras ac frequẽtes meditationes memoriam conseruare: quippe cum consuetudo altera quasi natura sit, quæque continuo in intellectu nobis versantur, ea postea ordine naturali ad memoriam remissa velut stylo ferreo in chalybeam tabulam incidãtur. Est ergo, secundum Quintilianum, hæc vera & vnica ars memoratiua. multa vt scias & intelligas allaborare, & quotidie

quæ

quæ legisti in memoriæ tabulas referre, & veluti bos comesta ruminat ita audita semel vel visa secum ipse repetere. Patet hoc in ijs qui circa vesperam memoriæ aliquid commendauerunt, si enim confestim cubitum se conferant, tum vero animi ille cibus auidius comestus sub noctem concoquitur, & illucescente iterum die semel tantum ac iterum repetitus firmissime hæret & velut in succum ac sanguinem nostrum conuertitur. Et vtebatur ante hac memoratiua B. MAGDALENA, quæ omnes suas cogitationes, mentem & animum eas ad lectiones quas à Magistro suo IESV didicerat conferens; modo ipsamet de ijs sermonem instituebat, modo alios super illis disserentes summa cum attentione audiebat. Itaque cum nonnulli scientiæ aquas cribro hauriant, sicque incassum semet laborantes conficiant; MAGDALENA illas cordis sui vase per amorem DEI integro ac solido excipiebat ac retinebat Quisquis enim amat, huic aliquid è memoriam excidere aut effluere mihi crede difficillimum, fere dixissem impossibile, esse videtur. Cæterum ego hanc ex Euangeli-
stis

ſtis coniecturam facio, Magdalenam Magiſtri & præceptoris ſui IESV lectiones Mortem, inquam, Paſſionem, & Crucem memoriæ ſuæ multo quam firmiſſime inſculpiſſe. Ideo enim terram in monte Caluariæ Seruatoris Noſtri ſanguine reſperſam collegit, & poſtea Marſiliam detulit, quæ in hodiernum vſque diem à la Bauſme oſtenſa ſpectatoribus velut bullire & feruere videtur. Verum ex Euãgeliſtis adſtructuri MAGDALENAM CHRISTI Crucem memoriæ ſuæ profundiſſimæ incidiſſe, præſupponimus Seruatorem Noſtrum ſæpenumero priuſquam moreretur ſuper morte ſua ſermonem inſtituiſſe & quomodo à ſceleratis capiendus omniaque ſecum Cruci affixus tracturus eſſet, identidem ſuis expoſuiſſe. Hæc ergo cum MAGDALENA nequaquam ſurda aure excepiſſet, ante ipſius mortem vnguenti alabaſtro effuſo funeralem & ſepulcralem eius vnctionem præuenit. Quod quidem factũ adeo Domino Noſtro placuit, vt propter id toto paſſim orbe laudatam & deprædicatam eam iri prædiceret.
Et quoniam nos ex Euangelica iſthac

Hi-

Historia non leuia sed plausibilia sane prægnantiaq; argumenta eruimus, quibus Magdalena Artis Memoratiuæ egregie docta fuisse ostendatur. Libet vt à S. Matth. ca. 26. ea recensetur, in præsentiarum loco huic annectere. *Cum esset Iesus in Bethania, ait, in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum vnguenti pretiosi, & effudit super caput recumbentis. Videntes autem discipuli indignati sunt dicentes: vt quid perditio hæc? potuit enim istud venundari: multo & dari pauperibus. Sciens autem Iesus ait illis. Quid molesti estis huic mulieri? opus bonum operata est in me. Nam semper pauperes habebitis vobiscum: me autem nō semper habebitis. Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum: ad sepeliendū me fecit. Amen dico vobis, vbicunque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius.* Ex quibus ego verbis sicut ex vngue leonem solemus, ita memoriam Magdalenę metior, quippe quæ continuo mortis & Passionis Magistri sui memor, potius vnguento illam suo prçuenire voluit quam sequi. Et quoniam Historia ista latentia pucherrimaq; mysteria continet, ea nos in præsenti hoc capite breuibus tantum ibimus explicatum, Quisquis enim in

prin-

principio factum hoc Magdalenę leuiter tantum & perfunctorie inspexerit, huic reuera prodiga & parum etiam à Domino sufficienter purgata excusataque fuisse videbitur. Nos autem enucleatius rem totam examinaturi: & propius aliquanto contemplaturi, ante cõcedi nobis volumus Magdalenam optime erga Magistrum suum affectam fuisse, & idcirco opus pulcherrimum optimumque in eo vngendo fecisse. Nam de fide illius (vt hoc primum sit) quis dubitet? Credidit illa Dominum Nostrum Messiam esse, quemadmodum eius soror Martha confessa fuit, cui in fide inferior esse non potuit, quippe quę meliorem quam illa partem elegit. Neque vero etiam de eo dubitauit peccata remittendi vim ac potestatem illi esse, à quo paulo ante dici sibi audiuerat: Dimissa tibi sunt peccata tua. Fides tua te saluauit. Porro pręter hanc Fidem admirabili etiam amore Magistrũ suum prosequebatur, quemadmodũ postea videbimus, & sicut ipsemet Christus ad Pharisæum dicens declarauit: *Dimissa ei sunt peccata multa quia dilexit multum.* Ex hac autem copiosa & ardenti Magdalenæ dilectione quid amabo aliud colligi ac perspici potest, quam facere eam nõ

potuisse quin officia humanitatis, gratitudinis, & religionis exerceret, Ad humanitatis enim officium quod attinet, quam pręclare sodes Magdalena illud adimpleuit? Etenim cum vsu receptum foret peregre aduenientibus aut inuitatis vnctionem offerre, ipsaque adeo Magdalena sciens quemadmodum Simon Pharisæus quod Christo domū suā ingredięti id non præstitisset fuerit reprehensus, cōuenire iudicauit maxime vt Domino cęnaturo etiam non nisi maximi pretij vnguentum adhiberetur. Secundo omnes grati animi numeros opere isto impleuit, conata videlicet illi par rependere à quo à morte peccatorum ad spiritualem vitam resuscitata, & è loco in quo Diaboli Sabbata sua colebant: Spiritus sanctus templum fuerat effecta. Tertio etiam Religionis opus designauit, dum videlicet vero Christo & Messiæ conuenientissimum honorem adhibuit. Ex quibus denique omnibus quid amabo aliud cōsequitur quam Magdalenam optimum factum fecisse, & à Christo excusatam fuisse, velut plus laudandam quam repræhendēdam. Etenim cū Dominus Noster ait: *Quod habuit hoc fecit*, quid aliud discere vult quam, Hoc vnguentum discipulæ

cipulæ meæ nequaquam satis dignum & pretiosum operi huic est: verum si melius aut pretiosius habuisset, illud mihi credite similiter impendisset: dum ergo vobis nimium fecisse videtur, ego eam quod plura non facit excuso.
Quod autem ad pauperes attinet, in quos pretium vnguenti huius erogari potius conuenire arbitramini, eos vos nunquam non vobiscum habebitis, me autem non semper quantum quidem ad præsentiam corporalem. Non quolibet momento, non continuo, non singulis horis pauperibus dare tenemini, nisi cum necessitas vrget & cogit. Iam autem mihi potius subueniendum est, qui breui post discedam & moriar: pauperes autem semper vobiscum habebitis. Quamuis autem super vnctione illa & ipsa MAGDALENAE intentione admodum diuersæ & discrepantes sententiæ sint, nobis tamen admodum placet illud statuere bonum videlicet istud opus MAGDALENAM Passionis memoria excitatam fecisse, quam sicut cordi suo penitus impresserat atque insculpserat; ita facere non potuit quin viuenti

adhuc ſepulturæ illud officium præſtiterat quod mortuo & exanimi poſtea erat præſtitura. O mors, quam erat amara memoria tua Mariæ Magdalenæ! quam tu illi tenellũ pectus & cor vulnerauiſti! quam tu illam ſæpe dolore mæroreque confeciſti, cum cogitaret crudeliſſimam Magiſtrum ſuum mortem eſſe oppeciturum! Neque vero minus vtilis & ſalutaris illi erat aſſidua illa ſuper Medici ſui morte cogitatio: quemadmodum omnibus etiam Chriſtianis multo quam ſaluberrima illa eſt, quippe ad quam ipſemet Dominus nos inuitat Ieremiæ 3. dicens: *Recordare paupertatis meæ, trãsgreſſiones & fellis*. Et S. Paulus Hebræorum 12. quemlibet Chriſtianum inuitat dicens: *Recogitate eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum cõtradictionem, vt non fatigemini animis veſtris deficientes.* Sicut autem in vetere inſtrumento Iſraelitis iniunctum fuit vt quotannis Agnum Paſchalem in memoriam libertatis ex Aegyptiaca ſeruitute comederent: ita in nouo inſtrumento Chriſtus moriturus venerabile altaris Sacramẽtum inſtituit, vt quoties nos id iteraremus toties mortis & Paſſionis eius recordaremur; prout D. Paulus ad Corinthios vndecimo teſtatur

dicens:

dicens: *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem: Et gratias agens fregit & dixit, Accipite & manducate, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnauit dicens, Hic calix nouum testamẽtum est in meo sanguine, hoc facite, quotiescunque biberitis in meam commemorationem. Quotiescunq; enim manducabitis panem hunc & calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Huius ergo in memoriam digressa etiam fuit B Magdalena, quando in morte Corpus Domini Nostri reuerenter accipiens, Threnorum illud 3. dixit: *Memoria memor ero & tabescet in me anima mea*, recogitans videlicet Passionem Domini mei. Hæc denique memoria, sicut D. Thomas ca. 2. Opusculi de Sacramento Altaris docet, ad tria potissimum conducit. Primo ad inflammandum corda nostra erga amorem Dei qui tanta pro nobis pati & tolerare non dubitauit. Secundò ad abstinẽdum nos à peccatis, quippe pro quibus tam immania Dei filius passus fuit. Tertiò ad præparandum nos ad extremũ Iudicij diẽ, dũ videlicet intelligimus Christum adhuc in Cruce pendentem alterũ

 latro-

latronum saluauisse alterum autem condemnauisse. Et de memoria illa quam nobis super morte sua Seruator Noster reliquit pulcre plane Psalmista ait: *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus; escam dedit timentibus se.* Escam inquam & Angelorum panem quem nobis in mnemosynon reliquit donec ipse in extremo iudicij die facie ad faciem copiam faciet se côtemplandi.

## *DE AMORE QVO MAGISTER Iesus Discipulam suam Magdalenam complectebatur.*

## CAPVT XXI.

ETsi qui superaffluentem DEI erga creaturas charitatem & inexhaustos diuinarum miserationum thesauros perscrutari nituntur, parum ab ijs distare videantur qui debili & imbecilli oculo solis claritatem intueri, & directo visu splêdorem illius contemplari conantur: quippe cum supernarum illarum in Deo diuitiarum abyssi humano intellectui in per-

in perſcrutabiles plane ſint: Tamen ſicut ex radijs ſumma montium iuga ferientibus ſolis Splendorem & claritatem aliquo ſaltem modo metiri poſſumus ac æſtimare: ita ex Sanctorum Sanctarumque actionibus immenſæ illius bonitatis charitatiſque diuinæ facilem admodum cõiecturã facere nobis licet: quippe quos ille antea peccatis obnoxios gratia ſua ſanctificauit & intima ſibi familiaritate deuinxit. Præcipue autem DEI noſtri miſericordia in B. Magdalena eluxit, quam Magiſter IESVS enixè plane diligebat & admirabili prorſus amore complectebatur, ſicut ex Ioannis 12. liquet: *Diligebat Ieſus Martham & ſororem Mariam & Lazarum.* Itane vero? Quod nobis penitus ignotum eſſe Scriptura ait, id Euangeliſta ergo ſcire potuit, Mariam videlicet à Chriſto fuiſſe adamatam? Omnino: Nam quotidiana experientia ita ſe rem habere ſatis ſuperque intelligebat, præterquam quod ipſe Magiſter Chriſtus liquido & aperte id antea indicauiſſet, multa ei debita remiſſa eſſe profeſſus, quod omnino fieri non potuiſſet niſi plus alijs illam adamauiſſet. Videbat adhæc Euangeliſta quouis loco & tempore Ieſum Magiſtrum

eam excusare consueuisse; vt cum Simon cōtra illam vt peccatricem murmuraret, ipsaque etiam eius soror Martha cōmoneretur quod solam se inseruire & ministrare permitteret, ipsa autem istiusmodi nihil attentaret; denique cum Iudas effusum vnguentum & prodigam Christi vnctionem argueret & accusaret. Quamuis autem non pauca argumenta Euangelistæ nobis suppetant, quibus amor Iesu Christi erga hanc discipulam Magdalenam liquido argui possit & demonstrari; vt quod illi omniū primo à Resurrectione sua apparuerit: illud tamen instar omnium est quod ex filia perditionis Sponsam Dei & Hæredem regni cælestis effecit, quodque impurum concupiscentiæ vas in auream phialam commutauit. De hac dilectione scriptura ait: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Vt enim homines non nisi eos qui gratia pollent diligunt: ita è contra Deus quos ab æterno prædestinauit per immensam suam bonitatem ex massa perditionis effictos in vasa dilectionis commutat; quemadmodum B. Mariæ Magdalenæ contigit, de qua sicut hactenus sermonem instituimus, ita postea eundem ad ipsius vsque operis finem ibimus continuatum. Et scribit de

hoc

hoc amore & dilectione diuina S. Paulus cap. 8. ad Romanos dicens: *Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat quis est qui condemnet? Christus Iesus qui mortuus est imo qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* O mare & abyssum charitatis diuinæ in electis Dei elucentem! Quis deinceps quærere ausit, Deus ne nos diligat? postquam Filium suum vnigenitum pro nobis laniènæ obtulit, qui iam nunc in cælo constitutus apud eundem aduocatus noster & Patronus est? Quis deinceps timeat vt mare siccetur atque deficiat? siquidem nobis id etiam fugientibus, tergum nostrum persequitur & ad se rapere nititur trahereque conatur? Hinc enim D. Paulus cap. 8. ad Romanos disertis verbis ait: *Quis ergo nos separabit à Charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Certus enim sum quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neq; fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à Charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Itaque etsi hactenus non pauci in Amoris triũphis describendis se occuparint, nullus

tamen excellentiorem illustrioremque ei titulum excogitare poterit, quam si dicat ipsi Deo illum imperitare & vinculis suis eum colligare. O Diuina charitas quantum tuum imperiũ, quanta vis, quãta potestas est? Et si in Deum tantum tibi licet quantum obsecro in homines tibi licebit? Ferrum in Cruce Christum tenere non potuisset, & tenuit amor. Hoc enim ille vinculo innexus è cælo in terrã tractus fuit illic vt peccatores & peccatrices congregatas in cælum transferret: cum his ille conuersabatur, cum his edebat, cum his manducabit, quemadmodum id illi Scribæ ac Pharisæi exprobrabant dicentes: *Hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* Quibus ille respondit: *Quis ex vobis homo qui habet centum oues? & si perdiderit vnam ex illis nonne dimittit nonaginta nouem in deserto & vadit ad illam quæ perierat &c.* Vbi similitudine ab oue & drachma amissa, & postea etiam à filio prodigo petitia manifeste satis ostendit, quanti salutem nostram fecerit, propter quam ex ipso cælo descendere non dubitauit, prout D. Ioannes cap. 3. attestatur dicens: *Sic Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Dile-

xit,

*xit*, inquit; sed quis? *Deus* quem ergo? *Mundum*. O bonitatem diuinam! ô iudicia Dei occulta! ô abyssum! Tu mundum hunc sordidissimum, & omnia potius quam mundum, tu terram & puluerem, tu vermiculos terræ diligere amareque potes? At quomodo dilexit? prius quam nos illum: neque hoc tantum, sed etiam filium suum vnicum pro nobis dedit, vt omnes qui in eum credunt vitam haberent & morte non plecterentur. Vnde pulchre S. Ioannes cap 4. ait: *In hoc apparuit Charitas Dei in nobis, quoniam filium suum vnigenitum misit Deum in mundum vt viuamus per eum. In hoc est charitas quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris.* Vnde intelligis Amorem istum adeo magnum immensumque esse, ipse vt D. Ioannes cum nobis manifestaturus, in loco allegato DEVM amorem Charitatemque appellet; ex quo etiam illud consequitur quia CHARITAS est neminem eum cognoscere posse nisi amore præuio & dilectione Magistra.

Cumque etiam CHARITAS salutis nostræ humanæ principium

origo sit, næ ille insigniter sceleratus ingratusque erit, qui salutis suæ authorem, caput, & principium nō amabit? Deum si in se ipso spectes sapientiam Potentiamq; esse dices, si autē erga nos, Charitatem & Dilectionem Cæterum cum illud omnibus à natura insitum sit amores vt suos constantes esse velint, cur amabo Deum non diligimus, à cuius cum amore discesserimus, cætera omnia instar aquæ preterfluunt & dilabuntur? Agnouit hoc Magdalena, & aquis carnalium deliciarū immersam iam iam suffocandam esse intelligens Iesum Christum vitæ arborem appræhendit, firmisque illā amoris stringendo amplexibus præsenti periculo eluctata saluataq; fuit. At dicat mihi hoc loco aliquis, si Deus tantopere nos diligit, cur itenditem nobis minatur, & modo per Prophetas modo per Euangelistas inferni tormenta nobis intentat, vt cum ait: *Nisi pœnitentiam egeritis omnes simul peribitis*? Rideo ego & plausibilius argumētum vix reperiri posse dico quo Dei, erga nos amor adstruatur. Quid enim ille aliud minis istis spectat, quorsum comminationes illæ tendunt, nisi vt nos à Regia via aberrantes velut angelus ille Baal in rectum rationis gyrum compellant

atq;

atque reducant? Quid autem pæna illa quam nobis intentat, aliud est quam potentissimum frenum à male agendi instituto nos reuocans & exorbitantes coercens? Et si Deus nos non amaret potius in pericula quæ vobis prædicit ruere incidereque nos pateretur. Cædit ergo nos virga sua vt inferni patibulū euadamus, digito elato nobis minatur vt pacem illum poscimus, & supplices Diuinę bonitati aduoluti æternam damnationem, & tormenta euadamus. Vnde etiam præclare intelligimus quantum Dei amor à mundi huius amore differat: qui primo quidem dulcedinē quandam & iucunditatem prę se fert, postea autē felle & absynthio amarior est: Contra autem Dei amor principia aliquantum molesta & finem facillimum iucundissimumq; habet: Quemadmodum id nos præclare admodum Euangelica illa similitudo docet: *omnis homo primum vinum bonum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est, tu autem seruasti vinum bonum vsque adhuc.* Reuera enim quilibet voluptuarius bonum delectationis carnalis vinum Diabolo mentem fascinante, degustat: vbi autem peccato iam inebriatus fuerit, tam idem vinum quod antea

exhilararat, affligere illum incipit & cruciare; sicque quod in principio vinum videbatur sub finem fæx tantum fuisse cõperitur. E contra Christus conuiuis suis acidum & austerum difficultatis & molestiæ vinum propinat, vt sanctis cogitationibus & inspirationibus in effectum deductis generosum consolationis vinũ maiore cũ auiditate exhauriant. Et sicut primo illo in nuptijs patrato miraculo discipuli in Iesum credere inceperunt: ita peccatores post longas afflictiones sancti spiritus cõsolationem sentientes, tunc primum bonitati & Misericordiæ Diuinæ. Vnde apposite Psalmista ait: *Gustate & videte quoniam suauis est Dominus.* Vbi nota quod dicit *Gustate*, ac deinde subijcit *Videte*: experientia Gustus Diuini & dulcedo amoris qui in Deo erga creaturas est cognitionem illius generat, vt qualis sit nos fugere latereque non possit. Hoc enim cæleste illud & abscõditum manna est, quod nemo scit nisi qui id ante degustauit: Hoc Ionathæ illud mel est, quo degustato oculi mentis nostræ confestim aperiuntur. Vnde præclare Prou. 31. de forti illa muliere Magdalena videlicet dicitur: *Gustauit & vidit quia bona est negotiatio eius*: Experta est bonitatẽ mer-

catoris

catoris Iesu qui pro vnica cordis cōpunctione innumera peccatorum debita dimittit, & peccatoribus mēte & animo pariter turbatis conscientiæ trāquillitatē & spiritus consolationē infundit. Obseruemus adhęc quod Psalmista ait. *Gustate*, nō bibite, non quantum vultis haurite: quidquid enim nos in pręsenti hac vita de bonitate & dilectione Dei percipim⁹ id modicū & exiguū prorsus est. Quā vero bene Maria Magdalena generosissimum illud Diuinæ misericordiæ vinum degustauit, cū ad nihil aliud quā ad Iesū afficeretur, nihilq; aliud cogitare & cōtēplari posset, quam quomodo ex perdita & flagitiosa muliere Dei intrinseca & sponsa fuerit effecta. De hac ergo sapientæ illud intelligi potest: *hanc amaui & exquisiui sponsam mihi assumere, & amator factus sum formæ illius.* Vbi nota quod sponsus ille animarū nostrarū adeo tenere spōsas suas diligit, nullū vt aliū nisi propter sui amorē ab ijs velit amari: hinc. n. ipsemet in Euāgelio ait: *Diliges Dominū Deum tuū ex toto corde tuo ex tota anima tua, & ex omnibus virib⁹ tuis.* In quo quantum adulter Diabolus à vero animarum nostrarum sponso differat cognitu omnino facillimum est: Diabolus enim ille qui per auaritiam

nos

nos tendat, facile concedit alteri vt Diabolo carnis concupiſcentias ſuggerenti adhæreamus: adeo vt nõ indignetur, etſi integra dæmonum legio vnicam animã ingrediatur. Quos Dominus noſter à Magdalena depellens, vni ſibi illam copulauit, & poſtea tempore crucifixionis ſuæ contra mortem, Diabolum, peccatũ, & infernum depugnans indiuiduam comitem habuit & ſpectatricem; quemadmodum id Euangeliſta Matthæus Cap. 17. indicat, cum ait: *Erant autem ibi mulieres multæ à longe, quæ ſecutæ fuerant Ieſum à Galilæa miniſtrantes ei, inter quas erat Maria Magdalena.* Itaque cum reliquæ fere mulieres maritos ſuos in bella proficiſcentes non comitentur, Sed domi deſidentes cum eiulatu reduces præſtolentur: Magdalena ſpõſo ſuo in monte caluariæ ex crucis curru triumphali adeſſe voluit, & in Regio ſuo thalamo & puluino ſpineo animam exhalantem videre: & ſicut conueniens eſt ſponſam ſpõſi ſui inſignia vſurpare, ita Magdalena vulnera & paſſionem Ieſu Chriſti ſponſi ſui in corde ſuo lachrymis depictam ex monte Caluariæ deferre conſtituit. O dulciſſime Ieſu & fidelis animarum noſtrarum ſponſe, imprime cordi meo in-

ſignia

ſignia paſſionis tuæ: Tu enim Domine nos amauiſti qui amoris quædam abiſſus es; Tu homo fieri voluiſti vt ego Deus efficerer: Tu te humiliaſti & depreſſiſti, vt nos eueheres & exaltares: Tu ad nos deſcendiſti, vt è contra nos ad te aſcenderemus: Denique tu omni Patre, omni Matre, ac omni cõſanguineo tenerius impenſiuſq; nos diligis. O Ieſu fac vt amor tuus cor meum ingrediatur: mane mecũ ſine fine qui finis meus es & vnicũ meum bonum quod prȩſtolor. Amor tuus O bone Ieſu fons vitæ eſt, de cuius aqua niſi anima mea biberit viuere exiſtereq; non poteſt: Tu ergo Domine qui fons amoris es per firmam charitatis & dilectionis adhæſionem me iuxta te cõſtituens gratiæ tuæ aquis imple & pota. Sentio ego quidem peccatorum ſarcina oppreſſus, longe me adhuc à fonte illo abeſſe, tu igitur clementiæ & pietatis tuę oculis benigne me intuere, & ad aquas dilectionis tuæ deductũ largiter inebria, vt continuo in tuo ſeruitio perſiſtam, & gratiam à te mihi ſemel impertitam nunquam amittam.

Amen.

## *DE RECIPROCO AMORE quo Discipula Magdalena Magistrum suum Iesum complectebatur.*

### CAPVT XXII.

OStensuri in pręsenti capite amorem illum quo Magdalena reproce Magistrum suum Iesum compectebatur, nihil opus est vt ex Euangelistis argumēta exsculpamus, quippe cū ipsius præceptoris testimonium instar omnium sit quod ille in domo Simonis Pharisæi super mēsa multis pręsentibus claris & disertis verbis pronūtiauit dicens: *Remissa sunt ei peccata multa quoniam dilexit multum.* Cuius nos dicti vt aliquanto pleniorem cognitionē habeamus, sciendum imprimis est, Magdalenam cū Christū accederet odio & desiderio pariter flagrauisse, odio iustitiæ, & desiderio pietatis. Vt enim infirmus aliquis medicū suum conueniēs, simul & morbi quem detestatur odium, & sanitatis quam optat desiderium & cupiditatē adfert: Ita Magdalena veri sui Medici opē implorans peccatū detestabatur & vitæ correctionis sanctimoniam diligebat. Duplex autē ille in ea affectus vehemen-

hementiſſimũ amorẽ quo erga ſponſum ſuum flagrabat, demonſtrat, quippe quæ id quod illi placeret deſiderabat, & quod ille auerſaretur ex animo deteſtari incipiebat. Vnde in dicta illius pęnitẽtia quatuor admodũ ſunt quæ immenſum eius pariter dolorem & amorem arguant. Primum eſt feſtinatio: ſimulac enim inaudiuiſſet Chriſtum in domo Simonis menſæ accubuiſſe non cunctata eſt, nec ſicut multi qui bona ſua propoſita ad calẽdas græcas differunt procraſtinauit, ſed confeſtim domo exſilijt, in viam ſe dedit & cauſam ſuam corã cęleſti mediatore orauit. Secundum amoris in Magdalena ſignum verecundia & rubor eſt, qui ſatis ſuperque illius dolorem & pænitentiam declarauit: quippe cum à natura nobis inſitum ſit, vt coram ijs quos amamus aliquando confuſi erubeſcamus. Quis autem dubitare poteſt quin Magdalena pudore & rubore pariter affecta fuerit, qui ſciat eam in conſpectu multorum hominum à quibus ſecundum D. Gregorium digitis monſtrabatur, peccata ſua lachrymis deplorauiſſe? vel qui ſciat eam retro poſt Ieſu pedes ſediſſe, quippe quam ſpiritualis ſuæ nuditatis puderet, & quæ probe intelligeret animam

ſuam

suam à peccato omnibus virtutum ornamẽtis exutam esse & spoliatã? vel qui denique sciat eam non Christo assedisse vel accubuisse, sed veluti indignam ad pedes se illius humillime abiecisse? Quod vtinam peccatores nõnulli obseruarent, qui simulac leuem aliquam in se contritionem persenserunt, cum Iesu Rege suo bibere volunt & manducare, id est confestim spirituales consolationes, & dulcedinem quandam internam, nullamque prorsus tentationem & spiritus afflictionem habere volunt: non absimiles nobili alicui aulico, qui vix in gratiam Regis sui receptus Regie vestiri, tractari, haberique desideraret. Tertium doloris & amoris, in Magdalena signũ lachrymarũ ille imber est, qui ex oculis eius defluens Magistri Iesus pedes vbertim irrigabat: & non tantum à dolore peccatorum sed Domini etiam amore proficiscebatur; quippe cum Magdalena peccatricem se agnoscens præter lachrymas & ploratus quæ peccatorum dona sunt Regi suo offerre nihil posset. Quartum amoris & dilectionis in Magdalena indiciũ fuit, quod omnibus membris quibus se Dominum nostrum offendere potuisse existimabat, eidem satisfecit: quippe cum manifestius con-

constare non possit, quempiam alicuius amicitiam expetere eiq; reconciliari velle quam si eum accedat pro omnibus ipsi offensis & iniurijs satisfacturus. Ita ergo Magdalena fecisse existimanda est, quæ corpus, animam, & bona omnia optimi Domini seruitio addixit atque deuouit: dum videlicet corde suspirat, corpus inclinat, Magistri pedibus aduoluitur, & preciosissimo vnguento illum perfundit. O perfectam amasiam Mariam Magdalenam, O verum prouerbium quod ait, opificium quod semel didicimus nunquam obliuiscimur. Probat hoc bonus ille fur & latro cum Christo in cruce moriens, qui per totam vitam furandi artem cum exercuisset eam nō intermittere potuit, & Regnum cæleste cuius ne minimā quidem portionem propter multiplicia peccata possessurus erat, cum manibus & piceatis digitis non posset, rancida voce & egro suspirio fuit furatus. Probat hoc Maria Magdalena quæ cum semel Christum amare didicisset, facere non potuit quin eum vsque ad caluariæ montem prosequeretur, & iuxta crucem morienti expirantique assisteret, iamque etiam mortuum & exanimem inungere vellet; quemadmodum id S. Marcus

cap.16.

cap.16.exponit dicens. *Et cumtransisset sabathū Maria Magdalenæ & Maria Iacobi & Salome, emerunt aromata vt venientes vngerent Iesum &c.* Ex qua deinde historia facile omnino intelligere est, quam acer & vehemens amor fuerit quo Magdalena & reliquæ illius comites Christum prosequebātur. Primo enim etsi iam antea Ioscpho ab Arimathia Christum vnctum fuisse non ignoraret, Christo tamen necdum satis esse factum arbitrabatur quia ab alio non autem à se vnctio illa facta esset. Secundo amoris violentia ex eo apparet, quod cadauer à tribus iam diebus exanime non horret, imo potius eius contactu, intuitu, & vnctione recreatur. Tertio dum nihil sollicita cum comitibus suis est quomodo Christum accedat, & per armatorum vigilum globum se penetret. Ibat ergo illa cum comitibus, solum Iesum cogitabat, ad ista animū non referebat, omnia possibilia & nihil impossibile sibi existimabat. O vim amoris incredibilem? O dilectionem Mariæ Magdalenæ admirabilem! quæ magistrum suum IESVM in vita, in morte, post mortem, Cominus & eminus, in aduersitate & prosperitate enixe & indesinenter dilexit. Vnxerat il-

la pri-

la primum pedes Domini nostri quando peccatorum remissionem impetrauit: Vnxerat eiusdem caput in domo Simonis leprosi, vnde non cænaculum tantū, sed vniuersa etiam domus odore perfusa fuit: Et ecce iam nunc etiam à morte illum vnguere desiderat, Omnibus nobis exemplum paria faciendi relinquens. Cum enim prima vnctio contritionis, secunda deuotionis & tertia denique compassionis fuerit: Vltima hæc inprimis nobis imitanda exprimendaque est; Etsi enim cum Magdalena Dominum nostrum & illius corpus vngere nō possimus, nihilominus tamen id illius membris quæ pauperes sunt præstare possumus: effundendo super illos oleum Misericordiæ & compassionis, erogando in illos fortunas nostras, nostra copia illorum necessitati subueniendo, & pro inimicis mortuis DEVM deprecando.

Porro amor ille Magdalenæ erga CHRISTVM adeo vehemens fuit, vt ex eo tempore quò illum in cruce exspirare vidit, cōtinuò languerit & in hoc languore omnem Gustum & saporē perdiderit: dum videlicet aliud non cogitare po-

re poteſt quam Deum de nullo loqui niſi de Deo, dum propter amorem non bibere; & propter dilectionem non valet manducare, dum omnem ſaporem & guſtum perdidit, dum amara dulcia, & dulcia amara eſſe arbitratur: dum oblectatione rerum ſpiritualiũ adeo languet ac exhauritur, vt non erecta incedere ſed ex humilitate inclinata & depreſſa humi & circa Crucem repere tantum cogatur: quæque hactenus ad choreas velox fuerat iam præ amoris languore vix incedere, vix pedem ponere poteſt. Signa autem languidi illius amoris in Magdalena vt multa ſunt, ita pauca tantum in pręſentiarum expromemus. Primo enim quotquot acri iſtiuſmodi & vehementi amore percuſſi ſunt, ij continuo ſecum ipſi diſcurrunt; multa ſuſpenſi cogitant, & pauca admodum loquuntur: imo ipſa illa quæ edicunt, maxime ſi amorem ſuũ concernant, ita truncatis & mutilatis verbis conſtant, ægre vt audienti ſenſus dicentis alluceat. Hanc autem defectiuã vt imperfectam animæ amantis locutionem Salomon Cantic. 2. repræſentat, vbi Sponſa ait: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* In qua ſententia quid tu amabo dicere potes, niſi verba quædam adieceris, & in alte-

altero eius membro nõnulla ſubintellexeris? *Dilectus meus mihi* placet, *& ego illi* placeo; mihi ſimilis eſt & ego illi ſimilis ſum: Si pulchritudinem, potentiam, nobilitatem, & fidelitatem quæris: ea in vtroque noſtrum ſunt, in illo per naturam, in me autem per gratiam. Rurſus *Dilectus meus* Ieſus merces & præmium tribulationum mearũ mihi eſt, propter quod illas ſuſtineo: & ego pariter illi omnium eorum finis ſum quæ ipſæ pertulit ac tolerauit. *Dilectus meus* propter mei amorẽ vt me ceu ſponſam lucrefaceret atq; redimeret, plurima paſſus fuit: *& ego* viciſſim ſponſum meum ſequendo & amorem illius demeritura quidlibet libenter pro eo perpetior. Denique *Dilectus meus* in hoc mundo viuere voluit, vt mihi inſeruiret, concionari vt me doceret, & tandem etiam mori vt me ſaluaret. Itaque *& ego* vni illi ſeruitura, obeditura, & ancillatura viuam: cum hoc moriar & in illo exſpirabo; quemadmodum id Apoſtolus tangit dicens: *Siue viuimus domino viuimus, ſiue morimur Domino morimur ſiue ergo viuimus ſiue morimur Domini ſumus*. Denique pro vltima ſyncopatæ illius ſententiæ explicatione illud adjcere poſſumus, *Dilectus meus* laborum meorum reſpiratio eſt co-

gitationem obiectum, voluptatum & deliciarum Zeugma, *&* idem ego etiam *illi* sum; secundum illud Prouerb. 8. *Deliciæ meæ sunt esse cum filijs hominum.* PORRO eadem plane verborũ syncope & detruncatio in Magdalena nostra reperitur, dũ ait: *Domine si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum: & ego eum tollam*: non exprimens eum nomine de quo loquitur, sed cogitandum conijciendũ relinquens. Nec solæcum omnino hoc loquẽdi genus est, ô anima mea, neq; quidquã opus longis sententijs & periodis amori suo ac sponso Iesu quæ volumus explicare: intelligit ille linguam amãtium, & Laconycam istam eorum breuitatem non ignorat: intelligit mutilata verba, intelligit syncopen, intelligit Ecclipses; perscrutatur corda edicentis dictorumque intentionem contemplatur. Et ideo sæpe peccatorem aliquem exaudiuit priusquam ille orationem suam absoluerit. Alterum languoris in Magdalena amante indiciũ quod Magistri sui pedibus aduoluta flaccere incipit atque macrescere, dum enim per aẽrem & vehementem nimis cordis applicationẽ spiritus multiplicatur, internã quandã corporis desiccationẽ subsequi necesse est. Et ita in amore diuino eue-

nitã quo anima exhauritur, & omnibus carnalibus humoribus euacuatur; quemadmodũ id venuste admodum Exodi 14. præfiguratur, vbi Deus vehemẽti & calido quodã vẽto mare rubrũ disiccauit. Etenim quid mare illud rubrũ aliud est quã carnis voluptas & delectatio? quę ideo etiam apposite mare appellatur, quia quidquid phantasticę dulcedinis in carne nobis imaginari possumus, id deniq; totum amaritudine, molestia & dolore terminatur: ipse aũt ille maris rubor quid significat nisi ꝙ carnis illa vitia in sãguinis ęstu & ebullitione cõsistũt? Per vẽtũ calidũ, vrentẽ, vehementẽ, omniaq; disiccãtem, quid aliud intelligi potest, quã Dei amor & dilectio? Hinc. n. de Apostolis cũ spiritu S. qui amor est perfũderentur, scriptura ait: *Factus est repẽte de cælo sonus tanquã advenientis spiritus vehementis.* Et quid aliud significat ventũ validum, calidũ, ac vehementem mare rubrũ arefecisse, nisi quod amor Dei omnem carnalitatem ab illis aufert, qui semel tantum à cælesti illa charitate fuerint afflati? Hoc ergo cum Diabolus sciat nihil æque quam amoris illam desiccationem pertimescit; quippe qui secundum D. Iob. cap. 4. in locis humidis dormit, & secundũ scripturã

quæ ait cum per arida incedentem quietem non inuenire. Et ſicut (*Ioſue* 5.) Reges Chananæorum admodum turbati fuerint audientes in introitu & aduentu Iſraelitarum fluuiũ exaruiſſe: Ita Diabolus videns ventum Diuini amoris carnalitatem animarum exſiccauiſſe, to taliter confunditur conſiſtereque non poteſt. Tu ergo ô Domine Deus qui in diſcipulam tuam Magdalenam ſancti tui amoris vento ſufflauiſti, in me pariter amoris tui ſcintillas effunde, eæ vt omnes carnis humorem depaſcãtur, & inimicis meis terribilem formidoloſamque efficiant. Expertus namque ego ſum Diabolum in aquis voluptatum & libidinum victitantem inſtar piſcis in arido extingui: & ſicut Tobiæ ille piſcis qui in aqua illum deuorare conabatur, in ripam protractus eum lædere nõ potuit, ita Sathan ex carnalibus noſtris delicijs extractus animæ noſtræ nocere non poteſt.

## *QVOMODO MAGDALENA librum de arte amandi compoſuerit?*

### CAPVT XXIII.

CVm Christus verus Magiſter & ſeruator noſter nullum poſt ſe manu

ſcriptum

ſcriptum relinquere conſtituiſſet, voluit doctrinam ſuam per quatuor amanuenſes id eſt Euangeliſtas ad ſempiternam poſteritatis memoriam & Eccleſiæ ſuæ incolumitatem tranſmitti. Imo ipſemet potius liber noſter eſſe voluit, ex quo bene & Chriſtiane viuendi pręcepta peteremus, quemadmodum in frontiſpicio libri noſtri fuſius à me memini declaratũ eſſe. In hoc libro cum impoſito digito ſicut pueri ſolent, D. Thomas reſurrectionis Dominicæ veritatem didiciſſet, eandem poſtea confeſſus inquit Dominus meus & Deus meus, agnoſco ego te, & verum hominem ac Deum verum eſſe cõfiteor. Cæterum eadem ratione Magdalena Chriſti diſcipula, ex ſe amandi librum fecit, non carnalem illum qualem Ouidius ſcripſit, ſed Diuinum & ſpiritualem qualem ipſi ſpiritus S. dictauit: Porro ſi Alexander ille Macedo Homeri Græci Poetæ Iliada Precioſiſſimo illo & famoſo inter Darij ſpolia reperto ſcrinio claudi voluit & aſſeruari: quanto Magdalenæ ille liber quem de amandi arte compoſuit dignior eſt, qui non dico in aureo aliquo ſcrinio ſed in deuotorũ cordiũ capſulis & archiuis cuſtodiatur? Nam ſi etiam illud quæras vnde nobis

constet Magdalenã opus istiusmodi concinnauisse, dico id ex scriptura sacra satis superque liquere, quam quisquis attentius legerit, mentior nisi confestim admirabilem discipulæ huius Charitatem suspiciet & dilectionem commendabit. Age itaq; & ipsius Euangelistæ D. Ioannis testimonium & historiam audi: *Maria autẽ stabat*, inquit ille, *ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinauit se & prospexit in monumentum: & vidit duos angelos in albis, sedentes, vnum ad caput & vnum ad pedes, vbi positum erat corpus Iesu. Dicunt ei illi, mulier, quid ploras? dicit eis, quia tulerunt Dominũ meũ: & nescio vbi posuerunt eũ. Hæc cũ dixisset, conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem: & non sciebat quia Iesus est. dicit ei IESVS, mulier, quid ploras? quem quæris illa existimãs quia hortulanus esset, dicit ei Domine si tu tulisti Dominum meum: & ego enim tollam dicit ei. IESVS, MARIA, conuersa illa dicit ei, Rabboni (quod dicitur Magister) dicit ei IESVS, noli me tangere (nondum enim ascendi ad patrem meum) vade autem ad fratres meos & dic eis, ascendo ad patrem meũ & patrem vestrũ, Deum meum & Deum vestrum. venit Maria Magdalenæ annuntians discipulis, quia vidi Dominũ, & hæc dixit mihi* Habes hactenus

Euange-

Euangelistæ verba, nunc ijs etiam nostram explicationem adiungamus. *Maria stabat ad monumentum plorans*: Maria inquam dilectionis incendio ardens, charitate inflammata, desiderio sponsi sui æstuans, & à sepulchro ne latum quidem vnguem discedens: Cumq; hoc pacto de illius morte certa super vita adhuc fluctaret & dubitaret, amor eam sepulchro affixit, dolor autem ad lachrymandum plorandumque induxit. Astabat ergo monumento in amore firma atque immobilis, & nihilominus in fide vacillans; stabat extra sepulchrum & simul extra confidentiam: Vnde eum modo in hanc modo in illam partem oculos cōijceret, sperans se alicubi Dominū suum visurā, cū sub noctem ablatū esse inter gemitus & plorat⁹ suspicabatur. Defleuerat antea mortē illius, nunc autem eiusdem absentiam ita grauiter fert omnem vt consolationem respuat & auersetur. Irrigauerat antea pedes Magistri, nūc autem terrā & monumentum. O benedicta Maria Magdalena, quis tibi obseco suasor & author fuit, sola vt apud sepulchū remaneres abeūtibus inde Apostolis? an nō times vt illi? An aliquid scis quod isti ignorant? Opinor certe: Neque enim tu quic-

quam aliud ſcire potuiſti quam amorē, quem qui ſciuerit quid obſecro is aut timere poteſt aut ignorare? Reuera ſicuti floſculus aliquis in amęniſſimo viridario excreſcens, ſi incidentis pluuię guttis grauetur, confeſtim caulem inclinat, folia demittit, & mærenti ſimilis terram deſpicit: Ita Magdalena amoris lachrymis grauata non dico oppreſſa in horto humum deſpicit, caput dimittit & ſpōſi ſui ſepulchrum intuetur; è quo duo angeli proſpectantes ita illam affati ſunt: *Mulier quid ploras?* Itane vero? Tu conſolationē iſtam Maria Magdalena non agnoſcis? Vnum quæſitura exiueras, & ecce duos inuenis? quærebas mortuum & par viuorum reperis? & tamen adhuc ploras, adhuc eiulas, adhuc lamentaris? & quam amabo ob cauſam niſi quia Domino tuo potiri nō potes? ergo ille lachrymis tuis non commouetur, quemadmodum tunc commotus fuit quando triduo iā ſepultū Lazarum ad vitam reuocauit? O bone & miſericors Ieſu quid ab illo tēpore Magdalena magnopere facere potuit, cur modo indigna ſit quæ à te exaudiatur? certe ab ea hora qua peccatorum illi veniam impertiuiſti, nihil leuiter, nihil licenter, nihil flagitioſe illam feciſſe legimus: Niſi forte

si forte tunc te offendit quādo in passione & sepultura tibi adfuit, quando ante lucana ad monumētum cucurrit, & quādo precioso te suo vnguento perfudit? Aut si hæc bene, imo optime facta sunt, cur ergo eam non exaudis? Itane vero? Nouimus te in scriptura te quærentibus promisisse, quod frustra quæsituri non sint, & quod mane ad te inueniendum consurgentes te reperient: & iam nihilominus, cum Magdalena te quærit non inuenitis? Recordare ô verax magister quod illi dixeris: *Maria optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea:* Quod si verū est cur te illi subtrahis & illius oculis te suffuraris? ob hoc enim illa plorat, ob hoc lamentatur. Quid faceret hoc loco Magdalena? terram aspicit, caput inclinat, & angelos sibi dicentes audit: *Mulier quid ploras?* Indica nobis quid te cruciet, aperi quid te molestet, & quid dolore te conficiat nobis reuela: Nec dubita quin magister tibi tuus monstrabitur. Hæc etsi Magdalena audiret pariterq; intelligeret, nequaquam tamen lachrymas suas interrupit, sed omnem consolationem auersata secum ipsa dixit. Omnes consolatores mei molesti mihi sunt: creatorem quæro, & ideo creaturas auersor: non

angelos sed illorum Dominum deside-ro:propter hunc toties me inclino & in sepulchrum despicio; isti autem potius perplexam me tenent quam vt animos mihi addant. Quid agimus Magdalena? quid multa querimur quid multa lamentamur? Magistrum tuum quæris, at illum non inuenis. Surgam & circumibo, non dabo oculis meis somnum, non pedibus requiem, non palpebris dormitationem donec eum inueniam quē diligit anima mea. Quæsiui eum in monumento & nō inueni; compellaui in sepulchro, & non respondit mihi. Quid hoc est O salus animæ meæ, ita videlicet deseri, ita derelinqui: Quo me vertam? vbique dolor, vbiq; luctus vbiq; lachrymę. Si apud sepulchrum maneo, dilectum meum non inuenio: si inde discedo, vbi eum quæsitura sim ignoro: de loco decedere mortē existimo: manere, immedicabilem dolorē interpretor. Præstat ergo iuxta sepulchrū lamentari: etenim si inde discessero, aut dilectus meus longius auferetur, aut monumentum in partes comminuetur. Non cedam ergo, sed ad sepulchrum dilecti mei mortua in illius loco deponar. Vtinam quidem id fieret; maiorem fælicitatem nec optare possum nec desiderare.

O me

O me fatuam! cum dilectum meum sepeliri viderem, cur nō apud sepulchrum remansi, & auferre eum molientes depuli? Nimirum dum sabbathi legem seruare volo, legis magistrum amitto Quis ergo mihi nunc ostendat quem desidero, quē amo, quem vnice concupisco? Quis mihi pascua illius ostendet? quis amasio meo annuntiabit, quia amore langueo & dolore conficior? Reuertere amice reuertere, & afflictam me præsentiæ tuæ salute exhilara. Ne confundas me spes mea, ostende mihi iterum faciem tuam, & acquiesco HAEC Magdalena quiritante, Christus à tergo illi astitit: quem etsi ipsa intueretur, agnoscere tamen non potuit. Itane vero? Abraham, Iacob, & alij antiqui Patres fælices se existimarunt, cum angelos videre poterant: quos hoc loco Magdalena dum videlicet dorsum illis obuertit, vili facere videtur. At ignoscamus hoc illi, fecerit sane: amoris culpa est qui istiusmodi non curat, & qui tantus in Magdalena fuit mortuum vt dilectum suum quam angelos viuentes videre maluerit. Habet hoc amor proprium sibi, non vt quæ meliora sed quæ sibi grauiora videntur accipiat. Quia autem anima non nisi DEI vi-

sione reficitur, ideo ille offerre se ei voluit & demonstrare. Vbi notandum inprimis fuerit, quod D. Chrysost. refert, Christum videlicet Magdalenæ cum angelis verba facièti apparuisse; quibus debitam Reuerentiam regi suo exhibentib⁹ Maria confestim retrospexit & magistrũ se suum visuram esse existimauit: Cum ecce eum non agnoscit & sub forma hortulani sibi astantem ne quicquam intuetur; Nec immerito adeo enim visus illius dispersus & disgregatus erat vnam vt aliquam in rem defigere illum non posset. At ecce Iesus eam compellat dicens: *Mulier quid ploras? Quem quæris?* O dulcis Iesu vnicum & perfectum desiderium cordis illius, quid opus est quærere, cur ploret & quem quærat? quis te vno melius id nouit? Viderat illa te paucos ante dies in crucem suffigi, viderat te morte affici, iã autem & mortuo se spoliari videt: & sciscitaris nihilominus quem quærat? An ergo te fugit quod te vnice diligit, & pro tui amore omnia auersatur? Verũ videamus quid Maria fictitio suo hortulano respondeat. *Domine, si tu tulisti Dominum meum: & ego eum tollam.* Quis hæc audiẽs non admiretur non obstupescat? O dolorem & amorem ineffabilem! Astat

bene-

benedicta nostra Magdalena Iustitiæ soli, sed quia tristitiæ nube circumfusa est, agnoscere illum non potest. An ergo ridicula Maria es? Quomodo eum quæris quem non agnoscis? Astat ille tibi, & tu hortulanum eum esse arbitraris? Cur autem eũ non agnoscis? quia videlicet mortuum illũ quæris qui viuit: & ob hanc etiam causam se tibi offerre differt, quia alium quæris quam in se est. Et nota nihilominus in hoc loco quod hominem vt videbatur & agrestem ciuiliter, & peramanter, compellat dicens: *Domine mi si tu tulisti Dominum meum.* Verum quis ille Dominus? cur eum non nominat? quia videlicet cuilibet eum notum esse debere arbitratur, quem ipsa diligit: Et vero quia amor Laconico loquendi genere & syncopatis ac mutilatis verbis vtitur. Itaque si etiam hoc loco sciscitêris, cur ex Christo interroget vbi Magister suus sit, cum id antea ex angelis non interrogaret: Respondeo, eam simulac vocem domini sui audiuit dulcedinem simul quandam & gratiam sermonis percepisse; & ideo ait: *Domine si tu tulisti Dominum meum: & ego illum tollam.* At ecce denuo hoc loco Maria deciperis, ex quo enim interrogas, ipse ille est qui corpus Diuina sua virtute

resuscitatum ex sepulchro abstulit atque abduxit. Verũ quonã quæso pacto corpus tu illud ablatura es? an ergo te fugit quam procerum sit, & quã omnia cadauera grauia esse soleant & ponderosa? an etiam ignoras Iosephum ab Arimathia sine Pilati venia & consensu è cruce illud deponere ausum nõ fuisse? quid ergo est quod tantopere te animat? Et quid facies, si in Domo Caiphæ, Pilati, aut Herodis custodiatur? *Tollam eum, Tollam eum.* O mirabilem mulieris audaciam! ô mulierẽ corpore non animo: imo nec iam corpore quæ corpus adeo ponderosum corpore se suo portaturam pollicetur! Quo autem Dominũ tuum iam ablatum defere, vbi eum depones? Ignoras scio, nec super hoc quicquã adhuc cogitasti Et pergit Euangelium: *Dicit ei Iesus, Maria, conuersa illa dicit ei Magister.* O amoris impatientiã & admirabilem iucunditatem! vix Iesus verbum protulerat, vix Maria dixerat, cũ sermonem ei interrumpit & salutantem resalutat. Verũ nec si contenta nec quod Iesum vidisset, audiuisset, compellauisset acquiescens, contingere eum nititur & osculari. Cui Iesus dicit: *Noli me tangere nondum enim ascendi ad patrem meum. Vade autem ad fratres meos & dic eis ascendo ad*

*Patrem*

*Patrem meum & patrem vestrum Deum meũ & Deum vestrum.* Porro qui omnia hæc quæ hactenus de Maria Magdalena in mediũ exprompsimus pensiculatius examinarit, mentior nisi confestim ille artẽ eam amandi exercuisse & nobis pariter conscribere voluisse affirmabit. Cum autem tota illa ars ex pluribus omnino partibus constet, nos aliquot tantum cõtenti erimus in præsentiarum assignauisse Et prima omniũ ingemitu, lachrymis, eiulatu, & suspirijs quantum licet exprimendis versatur; Ita vt cum Psalmista dicere possis: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus?* Fieri enim omnino non potest quin confestim DEI sui præsentia ille perfruatur, qui plorandi illud & lachrymandi exercitium continuarit.

SECVNDA artis amandi pars est seipsum continuo humiliare: modestia namque & animi submissione non DEVS tantum, sed ipsi etiam homines deuinciuntur. Quarta & potissima artis huius pars hæc est, vt quantum amari vis tantum ipse ames; Quemadmodum id MAGDALENA fecit, quæ

Domi-

Dominum noſtrum in vita, in morte, & poſt mortem conſtantiſſime ſemper dilexit. Quarta pars & amandi Methodus in eo conſiſtit, eum vt locum ſæpius frequentes vbi amorem te tuum inuenire poſſe exiſtimas. Quemadmodũ enim nihil facilius eſt quã cum eo familiaritatẽ contrahere in cuius domo ſæpius cõuerſaris: Ita qui Eccleſiam domum Dei frequenter viſitarit & in ea admiranda Diuini numinis opera contemplatus fuerit, facillime in Dei ſui amicitiam ſe inſinuabit. Quintũ artis amandi requiſitũ eſt, ab amore nõ ceſſare donec quod amas indipiſcare. Habes ergo iam nunc quinq; generalia Diuini amoris capita: & ſicut amor carnalis incipit, augetur, & confirmatur per rei quam amamus aſpectum, per lenocinia, blanditias, amplexus & oſcula carnalia: Ita nos mundanitatem in mortalitatem & vitium in virtutem cõmutantes dicimus Diuinum amorem ex Ieſu per fidem intuitu generari, augeri, & confirmari. Nã qui omnino cor aliquod dulciſſimam illius faciem contemplans non vulneretur, ita vt continuo cũ ſponſo ſuo in paradiſo conuerſari deſideret? Et qualis quæſo ſponſus tuus erat O benedicta Magdalena, quem quoties intuita fuiſti

ta fuisti toties præ gaudio exultauisti? Dilectus meus, inquit illa, candidus est & rubicūdus quia his duobus coloribus omnis pulchritudo constat: est ergo cādidus per innocentiam, est rubicundus sanguine quem effudit. Hac pulchritudine Ethnici & Gentiles attracti, & ad Philippum venientes dicebāt: *Domine volumus Iesum videre*; quia videlicet bonus & pulcher est, quia liberalis in dando, affabilis in loquendo & promptus in adiuuando. Alter amoris fons est mutuus sermo & crebra amantium inter se conuersatio: quæ quia Diuæ Magdalenæ cum Christo frequētissima fuit, ideo incredibili illius semper amore æstuauit; & ad hūc modum deuota anima cui Deus per scripturas & doctrinas Euangelicas loquitur, modo orationibus, modo cōfessione, modo interno cordis affectu & gratiarum actione cum Sponso suo dilecto conuersatur. Tercium quo amor alitur & cōfirmatur amplexus & oscula Iesu ac sponsæ sunt, quibus quantum amor vtrimque augeatur incredibile dictu est. Amplectitur autem anima Iesum suum duobus brachijs obedientiæ & patientiæ: bonum proximo suo faciens & pro malo malum non rependit. Cum ergo aduersitates

tates & tribulationes anima sustinens quod eas pro sponsi sui honore pati digna fuerit lætatur: tum vero brachijs patientiæ sponsum suum stringit & amplexatur. Cum se Diuinæ voluntati totaliter cõformat, omnia illi grata faciens & aduersa omittens, tum vero obedientiæ vlnis dilectum suum sponsum complectitur cum Psalmista dicens: *Tenuisti Domine manum dexteram meam & in voluntate tua deduxisti me.* Quãtum amoris incrementum à sponsæ osculis proficiscitur: vnde D. Bernardus ait: toties anima Deũ spõsum suum osculatur, quoties in illius amore compunctionem aliquam experitur: tunc autem in Dei amore compunctionem habere dicitur, quando iam tum per contritionem, confessionem, & pænitentiæ satisfactionem expurgata, ac Diuinæ dulcedinis Gustum aliquem sentiens ad omnia nauseat, quæ amori suo agnata non sunt, sicque continuo in corde suo exclamat: O dilecte Iesu osculare me osculo oris tui. Heu quãdo ad me venies? Ecquando vel pedes mihi tuos cum Maria Magdalena osculari licebit. Nec immerito Deuota anima osculum illud adeo expetit atque efflagitat: quippe cum nemo nesciat ardentissimi illud amoris

signum

ſignum eſſe & dilectionis. Poſt hoc autem amoris complementum ſequitur, hic deſiderandum & illic obtinendum. Age ergo & tu dilecta ſoror exerce te in amore Domini noſtri IESV CHRISTI, hunc aſſidue cogita, huius modo candorem in transfiguratione, modo ruborem in paſſione conſidera: hunc in concionibus & verbo Dei tibi loquentem audi; cum hoc per continuas preces, ſancta deſideria, & deuotas meditationes ſermocinare. Amplectere crucem illius, cui affixus ſponſam ſuam amplexaturus brachia ſua expandit: exoſculare ſaltem in humilitate cum Magdalena pedes illius: Hocque ita faciens amorem tuum in cæleſti paradiſo certo certius iri crede. Tunc enim ſpirituale illud inter Deum & animam matrimonium iucundiſſime adimplebitur.

QVOMO-

## *QVOMODA MARIA MAGdalena librum de remedio amoris composuerit.*

### CAPVT XXIIII.

CVm celebris ille Latinorum Poeta P Ouidius Naso de Arte amandi librum conscripsisset, eoque non paucorũ adolescentum bene nata ingenia ad improbas libidines & voluptates abiecisset; coactus fuit alium qui de remedio amoris est in eorundem gratiam & boni publici causa euulgare; in cuius initio ait:

*Ad mea decepti iuuenes præcepta venite,*
*Quos suus ex omni parte fefellit amor.*
*Discite sanari per quem didicistis amare:*
*Vna manus vobis vulnus opemq; feret.*

HVnc autem cum Maria Magdalena imitata cumplurium adolescẽtum. Sanos & incorruptos mores improbo vitæ suæ instituto perdidisset, ac passim amores exercendi suo exemplo præcepta & librum diuulgauisset, peccatum illud

illud expiatura ex se ipsa librum de remedio amoris fecit, quemadmodum ante conuersionem de arte amandi lasciuis & procacibus ingenijs liber facta erat. Vt autem quæ in charta aut pergameno posteritati commendantur, successu temporis à tineis, muribus, & situ denique ipso ac vetustate deuorantur: Ita quæ nobis virtutum exempla benedicta nostra Magdalena reliquit, omnia istiusmodi sunt bene vt De ijs Ouidianum illud dici possit:

*Iamque opus exegi quod nec Iouis ira nec ignes,*
*Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.*

ET adde quod nihil facilius est quam hominem per exempla in rectæ virtutis gyrum cōpellere, nihil laboriosius quam eundem verbis in officio velle cōtinere; quippe cum id ipsa natura, deinde ars, ac tertio deniq; Scriptura confirmet. Et primo quidem quod ad naturę operationes attinet; sicut ex lupo lupus, ex cane canis, & ex homine homo generatur: Ita ex bonis verbis mala, & ex illustribus actionibus sordidæ ac illiberales vt proficiscan-

ciſcantur, ex eorum admodum numero eſt quæ fieri non poſſunt. Confirmat id ſecundo ars humana: quam ſi Magiſter aliquis diſcipulum ſuum docere contendat, is reuera non verba ſed prototypa & demonſtrationes oculares adhibebit. Confirmat id tertio Scrrptura ipſa quæ Chriſtum Rectorem & Doctorem noſtrum, cum artem ſeſaluandi apud nos profiteri incepiſſit, ante feciſſe quam docuiſſe refert: *Cæpit Ieſus facere & docere.* Quem poſtea ſuum Magiſtrum diligens & minime deſes diſcipula Magdalena imitata librum nobis bene viuendi belle profecto illum exemplarem conſcripſit: qui quod certa capita de amoris remedijs habet, ideo nos ei eundem titulum non inepte apposuiſſe nobis videmur. Primũ remediũ eſt, vt ſicut à locis peſtiferis quilibet quã longiſſime abeſſe annititur, Ita amorem velut capitalem quandã luẽ remis quod aiũt & velis fugere cõtendam⁹, & quantũ fieri poteſt fieri à fæminis, & fæminæ à viris abſtineamus. Vt n. morbi quidam ſunt quos non niſi aëris mutatione aut rei alicuius ad quã ęger afficitur ſubtractione curãtur: ita vt amori carnali medearis, aërẽ mutare, loco cędere, occaſiones ſibimet amputare, omniaque

niaq; ea ab oculis remouere par est, quorũ intuitu mens improbas cupiditates cõcipit & nutrit. Etenim cũ cætera fere vitia omnia fortiter pugnando & cõfligendo superentur; vnicũ luxuriæ & veneriæ voluptatis cedendo tantũ vincitur & fugiẽdo. Demonstrauit id nobis Patriarcha Ioseph qui ab adultera Putipharis coniuge ad nefariũ facinus expetitus ab ea profugit, pallio suo quẽ adultera appræhẽderat illic relicto: existimabat n. p̃stare vestẽ q̃ animã, & manicã quã brachiũ amittere. Vnde præclare D. Hieron. ea in Epistola qua Vigilãtio Hæretico respondet, caussamq; assignat, cur mũdi trãsfuga in eremũ me dẽsas solitudines se cõiecerit, dicens: Cur, inquies, pergis ad eremũ? videlicet, vt te nõ audiã, non videã, vt tuo furore nõ mouear, vt tua bella non patiar, ne me capiat oculis meretricis: ne forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus: Respõdebis: hoc nõ est pugnare, sed fugere: sta in acie, aduersarijs armatus obsiste: vt postquã viceris, coroneris. Fateor imbecillitatẽ meã. nolo spe pugnare victoriæ, ne perdã aliquã victoriã. si fugero, gladiũ deuitaui: si stetero, aut vincendũ mihi est, aut cadendum. Quid autem necesse est, certa demittere, & incerta sectari?
aut

aut ſcuto aut pedibus mors vitanda eſt. Tu, qui pugnas, & ſuperari potes, & vincere. Ego cum fugero non vinco in eo, quod fugio: ſed ideo fugio, ne vincar. Nulla ſecuritas eſt vicino ſerpente dormire: poteſt fieri, vt me non mordeat: tamen poteſt fieri, vt aliquando me mordeat; Notum enim eſt Poetæ illud:

*Frigidus, ô pueri fugite hinc, latet anguis in herba.*

VTebatur ergo hac arte Magdalena quæ ne fallacibus mundi delicijs ineſcaretur, patriã ſuam deſeruit, in Galliam tranſmigrauit, in cauernis & locis ſolitarijs vitam egit, & quantum fieri potuit ab hominibus ſe ſequeſtrauit. Vtebatur etiam hac arte S. Ioannes Baptiſta, qui puer adhuc è domo paterna profugit, & in vaſtis ſolitudinibus vitam exegit: Calluit hanc artem Propheta Dauid dicens: *Ecce elongaui fugiens & manſi in ſolitudine.* Docuit illam populum ſuum Propheta Ieremias inquiens: *Fugite de medio Babylonis, vt ſaluet vnuſquiſque animam ſuam.* Ignorauit denique hanc artem protoplaſtus Adam, qui ſimulac cum muliere ſua conuerſatus fuit peccatum deſignauit.

Secundum conra carnalem amorem remedium est carnem affligere & corpus ieiunijs ac orationibus, quemadmodum Magdalena in deserto faciebat macerare. Reuera enim de concupiscentiæ & sordidissimarum libidinum spiritibus saluatoris illa sententia potest intelligi: *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur nisi in oratione & ieiunio.* Vnde etiam intelligimus quã bene Ecclesia nobis velit atq; prospiciat, dum videlicet statis temporibus ieiunia indicit, & vastum illum concupiscentiæ ignem in corporis nostri furno excitatũ aqua & piscibus restinguere docet. Et vtebatur non absimili stratagemate Propheta Dauid domesticum suum hostem refrenare volens, quemadmodum id fatetur inquiens: *Ego autem cum mihi molesti essent induebar cilicio, humiliabam in ieiunio animam meam.* Patet hoc in equis qui sessorem è sella eijcere assueti, si pabulũ illis subtrahatur, mansueti subito patientesque euadunt. Patet in canibus quorum latratus non nisi ostenso baculo aut mõstratis lapidibus cohibebis. Patet in hostibus quibus si aditum ad victualia recipienda occluseris, ciuitatem confestim dedent, & obsidionem solui rogabant. Sciebat hæc Magdalena nostra quę simul-

lac conuersa fuit à Spiritus partibus stetit & cum S. Paulo carnem illi subiugauit: sciens bestiam quæ damnum fecerat pænas etiã dare proq; illo satisfacere oportere. Tertium & potentissimum contra amorem impudicum remedium est, animũ & cogitationes ab eo quod amas auersas alteri rei infigere: cum enim mens nostra pluribus in locis simul esse non possit, debiliorẽ cogitationẽ fortiori cedere oportere in cõperto est: quo circa etiã Magdalena cordis sui amorẽ à mundo & delicijs carnalibus abstractum in vno Deo & illius charitate defixit: Hunc illa noctu & interdiu cogitabat: Hunc vnicè diligebat: Hunc ex toto animo & intimis medullis desiderabat. Reuera nullũ eloquentiç flumẽ tantũ reperiri potest, quod dilectioni quæ in Magdalena erat exponendæ explicandæq; sufficiat. Quartum contra mundanũ amorẽ remediũ est infamiam & vanitattem illius cognoscere. Quid enim amabo te benedicta Magdalena amore suo sordido & immundo lucrifecisti? Nihil reuera aliud, quã quod passim digitis notata & per totam ciuitatem peccatrix appellata fuisti. Quo autẽ omnes illæ tuæ libidines & voluptates abierunt? instar fluuij præterlapsæ sunt, & in-

star

ſtar aeris auolauerunt O ſtolidos amantes! aperite pauliſper oculos veſtros, aſpicite ſterquilinium veſtrum in quo velut porci volutamini, cogitate ſimiles vos eſſe filio illi prodigo qui vniuerſam ſuam ſubſtantiam cum meretricibus decoxit & dilapidauit. O miſeros! qui cum vnicã tantum animam omnibus gemmis præcioſiorem habeatis, conſiderate quæſo an non honeſtius ſit in candidis puritatis & caſtitatis linteis, in lecto florido & tapetibus mundiſſimis inſtrato requieſcere, quam cum immundis ſuibus in luto & ſordibus volutari? Quid autem vos magnopere ijs in libidinibus oblectare poteſt? examinate mihi obſecro in trutina voluptatem & moleſtiam illarum, depræhendetis mihi credite pro vna delectatione mille dolores, & pro vno non omnino malo die innumeros infortunatos recipere: Et feſtum breue vigilias autem longas eſſe. Reperietis ante complementum carnalitatis vigilandum vobis eſſe, currendum, laborandum, ſudandum: Ipſa autem libidine iam expleta naturalem quandam triſtitiam & Melancholiã conſequi, quæ per breuis illius feſti feriæ quædam ſunt: adeo videlicet omnis iſta amantium multitudo delirat

vt quod nemo ſapientum Mercatorum faceret, ipſi facere nihil dubitent: Iſtiuſmodi merces coementes quas poſtea ſe emiſſe pæniteant. Animaduertit hoc Demoſthenes ille & ipſemet etiam remedij loco vſurpauit, quãdo famoſi illius ſcorti Laydis ſordes deteſtatus ait: *Non tanti emo pœnitere.* Hunc nos in hoc imitantes & remedijs ſupradictis vtentes cor noſtrũ ab amore carnali abſtrahamus & in Deo defigamus: vt enim frumentum in terra corrumpitur, in granarijs & loco ſublimi aſſeruatur, ita cor noſtrum quod in terra computreſcit, in cælum eleuatum & in Deum defixum integritatem ſuam retinet atque conſeruat.

## *DE SPECVLO MARIAE MAGdalenæ omnibus Collegij ſapientiæ ſtudioſis pernece ſſario.*

## CAPVT XXV.

De Socrate memoriam accepimus, eum ſępenumero diſcipulos exhortari ſolitum fuiſſe vt in ſpeculis ſe contẽplarẽtur: Quod videlicet exiſtimabat eos

ſi pul-

ſi pulchri eſſent, animo vt etiam formoſi fierent elaboraturos, & ſi deformes, curaturos vt corporis turpitudinem mentis elegantia ſuperarent. Vnde & nos operæ prætium nobis feciſſe videmur, dum ſub finem opuſculi noſtri de Magdalenę ſpeculo, aliquid etiam nobis in medium cõſtituimus eſſe adferendum. Ne autem diutius te ſuſpendam, dico ſpeculum illud nihil aliud eſſe quam Ieſum ſapientiam patris, qui candor eſt lucis ęternę & ſpeculum ſine macula: in quo angeli ſe contemplari deſiderant, & in quo Magdalena noſtra omnis perfectionis & ſanctitatis ſuſpiciebat. Et quoniam ſpeculũ hoc ſine macula eſt, Ita nos in eo neuos noſtros intuemur: lachrymis deinde & pænitentia illos deterſuri. Quam ſi etiam peccator in ſe excitare & contritionis aquam in ſe reperire non poſſit, accedat mihi confeſtim ad latus Domini noſtri, & aqua inde profluente ſemet lauet ac mundet. Poſtquam autem cum Magdalena in ſpeculo iſto cruci affixo ſe contẽplatus fuerit, inclinabit confeſtim caput, & mortuorum caluarias paſſim in caluariæ monte diſperſas intuitus in mortis meditationem digredietur: ſicque ſecundum Iob viſitans ſpeciem ſuam non pec-
cabit

cabit & Ecclesiastici illud verissimum esse comprobabit: *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua & in æternum non peccabis.* Consultum etiam hoc loco fuerit quasi in quodam speculo animę voluptuariæ iamiam è corpore ad damnationem proficiscentis miseriam intueri & Epopæiam istiusmodi excogitare. Ergone corpus meum derelictura sum? dolore suffocor. O mendaces spes quæ me miseram lactauerunt! O falsæ opiniones quæ me infelicem deceperunt! O fraudulentũ mundum cui quod condemnor acceptũ fero! Hoc tuum tributum hoc salariũ est. Ergone Diabolis præda futura sum? Ergo sensuum vsu destituor, ergo omnis pulchritudo abcessit, & præter corpus rigidũ illud & exanime nihil mihi relinquitur! desperata sum, nihil hic medicamenta possunt, & omnis refocillatio & eduliorum oblectatio vana & nequidquam est, lasciuia oculorum meorum, cantilenæ oris mei & choreæ pedum meorum in amaritudinem conuersa sunt. Valete nunc vos amici, vos diuitiæ, vos sodales: vale mundus muliebris, supellex culta & relucens, argentum splendens, ornata domus, & ab alijs decoquenda hæreditas. Vos autem qui cir-

cum

cum me ploratis faciem meam contemplamini, amplius mei mentionem non facite, cadauer putridum ſepelite, de anima nihil ſolliciti eſtote, ea enim è veſtigio in infernum auolabit. Diſcedo ergo improbitatis meæ mercedem acceptura, & ſententiam quæ contra me lata eſt in æternum ſubitura. O tempus clementiæ quomodo te perdidi! O tempus pænitentiæ quomodo te dilapidaui! O fallax & perditor mundus qui ad perditionem me rapis, vbi infernus habitatio, Lucifer collega, & Diabolus carnifex meus futurus eſt! Maledicta ſit hora in qua lucem vidi, in qua baptiſſimum accepi, in qua ſpiritum duxi. Hæc nos animæ condemnatæ ſuſpiria, rugitus, & lamenta conſiderantes, facile omnino à male viuendi inſtituto deterrebimur. Qui enim mortem cogitat, per peccatum illam in mundum introiuiſſe cognoſcit. O cęcos igitur voluptuarios qui hęc non videtis, ſpeculum iſtud non adhibetis, & finem veſtrum non reſpicitis. Tu vero anima perpende mihi hæc cum benedicta MAGDALENA & mentis oculis contemplare. Quis te obſecro in hora mortis tuæ comitabitur,

bitur, Quem amicum habebit quis tibi auxiliabitur, quis pro te respondebit, quis seuerissimi iudicis tribunali astantem defendet? quando inimici te tui vndequaq; stipabant, millefariam accusabunt, in sempiternos inferni ignes auferent, quādo denique ipsa tua conscientia te insimulabit? nunquid mundus nunquid amici? nequaquam, omnes enim isti te derelinquent. An ergo corpus cui adeo diligenter inseruiuisti? nequaquā illud enim in terram defossum vermes depascentur. Heu quantum cohorreo & tremo quando terribilem illam supremi Iudicis sententiam cogito! Et quantū hoc sit à summo bono ad extremum malum, ab omni fælicitate ad quamlibet miseriam, & à patria delectationis ad sempiternā damnationem deuolui. O sententiam terribilem! O iram Dei formidabilem! quis te sustinere, quis te audire poterit? expergiscere miserabilis creatura, arrige aures & horribile sententiæ illius tonitru: aperi mihi paulisper oculos & seuerissimi Iudicij modum ac rationem contemplare. Hoc si tu non audis, hæc si non vides, ipsis crede mihi lapidibus cæcior, & cotibus surdior es. Noli mihi ex eorum numero esse ô anima mea de quibus prouerbium

uerbium illud sonat. Non creditur sanctis nisi miracula faciant. Noli mihi imitari generos Loth, quibus frustra Diuini numinis offensa & punitio annunciabatur: Non imitare mihi mundanos illos quibus Noe generalem illum Cataclismum prædixit. Et si anima mea in tali statu viuerete depræhendis, in quo mori & expirare nolles, cur eum non hodie potius quam cras emendas? certe quod tibi hodie difficile videtur, id cras Aetna tibi grauius esse depræhendes: præterquam quod diploma à Deo nullum accepisti in crastinum te esse superuicturam. Certe si hostem ad portas ciuitatis esse sciremus, non balnea & conuiuia instrueremus. At ecce mors capitalis noster hostis, mille in locis & qualibet hora nos prestolatur, cum interea nos nihil de ea solliciti auru & argentum nostrum aspicimus, & de liberis nostris ad dignitates euehendis cogitamus. Reuera si nobis isthæc cordi essent quatuor admodū in speculo de quo loquimur videremus. Primum est mors falce armata & è vestigio è medio nos sublatura: vt sicut auis ex arbore sclopū in se emittendum conspiciens, repente auolat & periculo sese subducit: ita nos mortis arcum in nos directum cōspiciē-

tes, certoque nobis persuadentes feritur illam nos esse, tempestiue de conuersione & pænitentia cognitionem suscipiamus. Hinc enim Psalmista in persona Dei ait: *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit & parauit illū.* Vbi aduerte gladio morti proximos id est senes & ætate confectos percuti, arcu autem eminus constitutos id est adolescentes qui longissime adhuc è morte sibi abesse videntur de medio tolli. Vnde Ecclesiasticus ait: *Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & aues laqueo cōprehenduntur sic capiuntur homines in tempore, malo cum eis exemplo superuenerit.* Secūdum quod in speculo isto videndum nobis offertur. mors equo insidens & celerrime currens est: quo videlicet sicut peregrini cum noctē instare vident vno quasi spiritu iter suum emetiri & exhaurire cōtendunt, ita nos mortis tenebras & sempiternam caliginem celerrime in nos cōspicientes, in bonis operibus & actionibus caleamus, cum præsertim ætate nostra iam ad vmbilicum mortua vix vnicam horam promittere nobis valeamus, Hinc præclare Ecclesiast. cap 4. ait: *Filiss habes benefac tecum, & Deo dignas oblationes offer, memor esto quoniam mors nō tardat.*

*Non*

*Non defrauderis à die bono, & particula bonæ diei non te prætereat. Ante obitũ operare iustitiã.* Et Isidorus lib. 3. de summo bono ait, Cum in hoc mundo viuimus vitãne nostram augemus indies an diminuimus? Augeri certe non potest, cum per dimẽsiones & gradus ætatum ad mortem celerrime decurrat quotidie decrescens & nunquam accrescens. Et siquidẽ mors aliud nihil est quam vigoris vitalis decrementũ ita nõ inepte dicere possumus infantiam, iuuentutẽ, & virilem ætatẽ nobiscum mori ac senectutem deniquemorituram esse: morimur ergo singulis annis, quolibet mense, quotidie, imo quolibet momẽto; & nihilo minus ignaui ac desides saluti nostræ indormimus, & de pænitentia agẽda vix ac ne vix quidem cogitamus. Vnicam tantum mortẽ Deo debes, & cur eam ita illi non soluis, pariter vt æternam vitam promerearis. Tertia imago quæ in mortis speculo apparet Mors est Leoni insidens: quo videlicet illa cõspecta in iuuentute nostra spes non collocemus, intelligentes pariter mortem nec fortibus nec imbellibus, nũquã sapientibus nunquam stultis, necdũ Cæsaribus & Regibus, necdum denique vlli post homines natos pepercisse.

Mors

*Mors Dominos sceptris & sceptra ligonibus*
*æquat,*
*Dißimiles simili conditione premit.*

HAEc cum tu videas, cũ intelligas, & quotidie experiaris, quantæ demum dementiæ est, nihil inde flecti ac commoueri? Certe qui vicinæ domui flammam iniectam videt, eodem incendio suam absumptam iri non vanus aut mendax auguratur. Cogita Herculem cuius vires etsi pares nõ haberent ab igne tamen absumptæ sunt: Cogita Iulium Cæsarem quem experientia rei militaris coniuratorum pugionibus subducere non potuit: Cogita Alexandrum Magnũ quem nobilitas & toto terrarũ orbe diffusum imperium à toxico liberare non potuit. Quarta speculi nostri imago mors etiam est nuda corpus & vnico tantum linteamine tecta: vt videlicet nobis ostẽdat ex omnibus fortunæ bonis neminẽ plusquam vnum linteum ex hoc mundo secum auferre. Vnde Psalmista ait: *Ne timueris cum diues factus, fuerit homo, & cum multiplicata fuerit, gloria eius, quoniam cum interierit non sumet omnia.* Porro quemadmodum viator aliquis nihil secum auri & argenti defert, qui in itinere spoliatum se iri

ſe iri prænouit: ita nos, qui in ipſo vitæ noſtræ itinere à morte non ſpoliandos nos tantum, ſed interficiendos etiam eſſe ſcimus pecunijs accumulandis tantopere eſſe intenti non debemus. Etenim vt in laniena vxor lanionis beſtiæ mactatæ pedem vnum, filius alterum tenet, canes ſanguinem lambunt, & amici denique carnem depaſcuntur: Ita diuite moriente vxor & liberi bona inuadunt, Diabolus animam conſequitur, & vermes cadauer abſumunt; quemadmodum Eccleſiaſticus cap. 10. adſtipulatur dicens: *Cum morietur homo hæreditabit beſtias ſerpentes & vermes.* Quam ergo humilem & modeſtam animam illam fieri neceſſe eſt, quæ identitem in ſpeculo iſto ſe contemplatur! Nam vt ſecundum Platonem mortis meditatio nihil aliud eſt quam perfectiſſima humanæ vitæ ſapientia, cuius intuitu mundana illa prudentia breuis quædã dementia eſt, & in accumulãdis diuitijs, aucupandis honoribus, & libidinibus cõſectandis verſatur? O admirabilem Philoſophiam! O diuinam ſapientiam! Certe vt infans aliquis ſi mortuus aut monſtroſus in lucem enaſcatur, confeſtim abijcitur & ſubterrã defoditur: Ita ſi nos qui in hoc mũdo velut in materno vtero
alibi

alibi id est in cælo victuri efformamur, si in peccatis & portentosis flagitijs moriamur, à supremo iudice repellemur & in inferno sepeliemur. Nos itaq; quibus isthæc omnia perspecta & multo ante explorata sunt, à bonis operibus linteamina mutuemur, quibus si anima nostra inuoluta non sit in supernam illam ciuitatē nō intromittemur. Vigilemus, & Puerperam imitemur quæ priusquam infantem enitatur medicamēta adhibet & salutarem apparatum vsurpat. Pręparemus nobis interulam innocentiæ, lintea picta & rubicunda charitatis, & corallum sapientiæ. Et quoniam eo tempore Diuinitas nutrix nostra futura est quæ vberibus nos suis nutriet & lactabit, ante ab immundicijs naturę, à vetere Adam, ab inclinatione carnis, & à rebellionibus cōtra spiritum probe repurgemur: lauemur lachrymis contritionis infantium instar qui plorando nascūtur: sanctificemur lauacro pænitentiæ, quæ spiritus sancti Baptismus est; sicque apparatu isto præuio si pariēdi id est moriendi tempus aduenerit natiuitate sanctorum nascemur: Quorum mortem Ecclesia idcirco natiuitatem appellat quoniam in ea primum viuere inceperunt.

Memi-

Meminerimus adhæc in mortis partu seu puerperio dolorem quidem nos sentire, pueto autem iam nato omnis miseriæ & cruciatus obliuisci; quemadmodum id in Euangelio Dominus noster docet cũ ait: *Mulier cum parit tristitiam habet, cum autem peperit, iam non meminit pressuræ.* Moriamur ergo cum Christo in cruce, vt cũ eodem aliquando in cęlo viuamus: contemplemur nos modo supradicto cum Magdalena, vt in Paradiso diuinitatis speculum intueri valeamus, in quo omnia cum perenni gaudio videbuntur & cognoscentur. Tu autem deuota anima tot argumentis & rationibus impulsa finem mihi tuum identidem cogita, intuere speculum quod tibi offertur, contemne præsentia quorum vanitatem tibi exhibet, & noli cor tuum sæculi huius bonis apponere sed in solo Deo defige: cui honor, gloria, laus, & gratiarum actio per cuncta sęculorum sæcula Amen.

(·.·)

FINIS.